DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

De

HYDROPE ASCITE.

Quam

AUSPICE ac PRÆSIDE JEHOVA,

MAGNIFICI, AMPLISSIMI in Celeberrima & Antiquissima Basileensi Academia, Collegii Medici Auctoritate & consensu,

Pro SUMMIS in ARTE MEDICA Honoribus, Privilegiis & Insignibus ritu solemni consequendis,

Omnibus Artis Apollineæ Cultoribus publicè examinandam proponit

AHASVERUS SCHMITNERUS
Regiomont. Boruss.

Ad diem 21. Jun. An. M DC XLIII.

Loco horisque solitis.

BASILEÆ, Typis GEORGI DECKERI, Academiæ Typographi.



VIRIS,

Nobilissimis, Consultissimis, Amplissimis ac Prudentissimis,

DN. DN.

CONSULI,

PRO-CONSULI,

CÆTERISQUE INCLYTÆ CIVITATIS CNIPHOVIANÆ, quæ in Regio-Borussiæ-Monte est, SENATORIBUS gravissimis, Patriæ Patribus Fidelissimis, Fautoribus ac Promotoribus honorandis,

Inauguralem hanc Disputationem cum promptissima studiorum & servitiorum oblatione submissè

Inscribo, consecro & offero

AHASVERUS SCHMITNERUS
Regiomont. Boruss.

Auxiliante DEO *Triuno!*

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

HYDROPE ASCITE.

INGRESSUS.

INTER affectus corpus humanum discolerantes, defœdantes, deformantes ac lento gradu destruentes, haut malè referri potest & is, qui vulgò Hydrops appellatur. Quippe eo affecti corpus pallescit, intumescit, & inflatur. Faciei floridus & vividus color, seu ut Græci loquuntur, τῆς χρόας τὸ ζωτικὸν ἄνθος, in cadaverosum, luridum & fœdum mutatur. Oculi protuberant, labia pallent atq; tument. Tandē eò correptus interceptâ respiratione, corporis, cordisq; calore paulatim labefactato miserè suffocatur, extinguitur. Adeoque tam dirus & funestus est hic affectus, ut in plurimis regionibus sæpè plura ab ejus malignitate, quàm aliûs affectûs mixta senum ac juvenū (ut Poëta loquitur) densentur funera. Cæterùm à Galeno Medicorum Coryphæo, aliisque probatissimis Medicinarum scriptoribus tres Hydropis constituuntur species, Anasarca scilicet seu Leucophlegmatia, Tympanites & Ascites. Hic duplex est, universalis & particularis. Universalem ego voco eum, qui ventrem, sive insi-

gnem aliquam corporis cavitatem occupat, ut est Capitis, qui vulgò ὑδροκέφαλον appellatur, fitque vel intra cranium & meninges, vel extra cranium, inter pericranium vel cutem, docente *Sennert. l.1. prax. part.1. cap. 28. Cæsalpin. l. 5. Prax. cap. 40. Hildesch. spiceleg. 10. §. Hydrocephalo:* Thoracis; cujus exemplum habet *Horst. Epist. Med. sect. 2. p. 455. Tulpius obs. Med. l. 2. cap. 16.* & aliquot *Carolus Piso de morb. ab illuv. seros. p. 215. & seq. Schenkius obs. l. 2.* Abdominis; qui omnium frequentissimus, & in specie Ascites appellatur. Particularem eum nomino, qui privatam aliquam corporis partem obsidet, qualis est cerebri; cujus observationem raram habet *Vesalius l. 1. c. 6. de fabr. corp. hum. Fabric. Hildanus cent. 1. observ. 10. & Tulpius l. 1. obs. Med. c. 25.* Pulmonis; cujus meminit *Sennert. lib. 2. Prax. part. 2. cap. 9. Carolus Piso l. c. p. 213.* Et hôc Maximilianum Imperatorem interiisse scribit, *Crato in Epist. Scholz epist. 136.* Uteri; de quo *Hipp. 4. de morb. & l.* περὶ γυναικείων. *Aetius l. ult. cap 97. Fernel. l. 6. de part. morb. & sympt. c. 15. Fabric. Hildanus cent. 2. observ. 56. Tulpius l. 3. observ. med. cap. 32.* Gutturis; quem in Puella quadam se annotasse, atq; etiam curasse, attestatur *Montanus consil. 263.* Brachii; de quo *Horst. l. 7. hist. memorabil. Marcell. Donat. cap. 7. & Montanus l. c.* Manus; quem aliquoties observavit *Sennert.* sicut testatur *l. 2. Prax. part. 1. cap. 25.* Pedum & Scroti; qui plerumque cum Ascite abdominis conjungitur. Verùm relictis duabus prioribus Hydropis speciebus, impræsentiarum de tertia duntaxat, Ascite scilicet, & potissimum Universali Abdominis, utpotè frequentissima, nec minus gravissima Hydropis specie agam, atque in ejus indolem, pensiculatè, liberè & ingenuè inquiram. Quamvis

enim

enim à Præceptorũ & Magiſtrorum in Arte Medica celebrium placitis non temerè ſit recedendum, ſed eorum veſtigiis, quantum licet, inſiſtendum, ſervilem tamen animum *Alex.Maſſar.* ſequi non placet, qui *de peſte l.1. p.m.496.* ſcribit, ſibi jam dudum conſtitutum eſſe, Galenum perpetuò imitari, & ab illo ne latum quidem unguem diſcedere, ac ſe malle cum eo errare, quàm cum recentioribus vera ſentire. Galeno ipſi potiùs obtemperabo, qui à Patre ſuo admonitus ne in ullius Magiſtri verba juraret, *l.2.m.m.* ſic ſcribit: moveri non debemus Hippocratis (addo, aut alterius) famâ & auctoritate, ſed veritatem quærere, & contra experientiam & rationem quidquam illi, (nec aliis) credere. *& in com. l.de morb.vulgar.* ait, ſe nõ ſolùm in Hippocratis ſcriptis, ſed in omnibus antiquorum libris obſervare, ut non temerè, quæ quiſque ipſorum dixerit, approbet, ſed experientiâ & ratione verumne, an falſum ſit, quod ſcripſerunt, examinet. Et certè ut anguſti inertisque animi eſt, è libris quæcunque obvia deſcribere, & rerum omnium dominatorem intellectum humanum tanquam mancipium alienæ libidinis, & aliarum opinionum facere, atque ad quamcunq; ſententiam ceu ad ſaxum adhæreſcere: ita ingenuum eſt & dignum homine rationis lumine nobilitato experientiam & rationem conſulere, atque perpendere, non quis dixerit, ſed utrum verè dicatur; quod niſi fiat, facilis in errorem eſt lapſus. Ut autem hoc commodè fiat, uſitatâ methodo perpendam atque excutiam ſequentia.

I. Nomen. II. Definitionem rei. III. Subjectum. IV. Cauſas. V. Dif-

ferentias. VI. Signa. VII. Indicationes. VIII. Curationem. Conatibus meis ſupremum adſpiret Numen!

THEOREMA I.

Qui infimi Ventris tumor aquoſus Græcis Ἀσκίτης dicitur, is Latinis ad eorum imitationem Aſcites, & Barbaris Aſclites appellatur: ſæpè etiam Aqua-intercus, & Aqua inter cutem, atque καθ' ἐξοχὴν Hydrops: Germanis die Waſſerſucht/ das gelbe Waſſer.

Prudenter Galenus Medicorum Anteſignanus monet λογομαχίας Medico imprimis fugiendas eſſe, & citò de nominum appellationibus conveniendum, ne, quod illis tempus & opera inſumitur, rerum cognitioni depereat. Quare perutile hoc monitum & hîc obſervaturus, ante omnia hujus affectûs etymon primò excutiam. Dicitur autem Ἀσκίτης ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, ab utre, eò quod teſte *Galen.* 4. *aphor.* 11. & *in definit. med.* in illo venter ſeroſô humore turgidus utrem aquâ plenum repræſentet, vel quod ſecundum *Valeriol. l.* 2. *obſerv.* 5. percuſſus in morem utris aquâ ſemipleni reſonet, unde & Utricularis *Chalmet. Enchir. Chirurg. cap.* 41. & *Jacchin. in lib.* 9. *Raſis comm. cap.* 52. appellatur: Fortè etiam ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, *i. e.* Abdomine ſeu Ventre, quia abdomen, ſeu ventrem, quem *Celſus* paſsim uterum (niſi fortè utrem ſcripſerit) appellat, occupat. Ἀσκὸς enim, ut ex *Scapula* patet, etiam de homine vivo, vel mortuo dicitur, & imprimis ex *Dodon.* ſententia *l.* 2. *Prax. cap.* 66. de Abdomine ſive ventre; unde & Aſciten non aquam inter cutem, ſed inter ventrem collectam deſignare ſcribit. *Nic. Florent. ſermon.* 5. *tr.* 5. *cap.* 24. & *Cruſio Theatr. morb. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8. etiam Hydrops Aquoſus, ab aquæ prædominio dicitur. *Paracelſus tom.* 4. *tr.* 4. Rorem humidum, ſeu reſolutũ liquorem ad aquæ ſimplicis uſualis differentiam, item undemiam ab unda nominat. Plurimis abſolutè ὕδρωψ, ὕδερος, & ὑδερίασις appellatur.

latur. Quamvis autem Hydrops ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων sit, & vel generaliter atque latissimè accipi possit pro tumore universi corporis ab humore pituitoso; vel pro abdominis tumore à seroso humore vel flatu, ut quoq; communiter fit: Attamen propriè & in genere Hydrops denotat aquosi & serosi humoris abundantiam & collectionem, ob quam corpus, aut ejus pars p.n. intumescit, uti *Sennertus* docet *l.3.part. Prax. part.6.s.2. c.3. & Reserus in consil. à Scholz. collect. consil.* 131. Adeoque etiam teste *Cœl. Aurel. l.3. c.22.* ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ab aqua nomen accepit, & rectè sumitur pro omni aquoso & seroso tumore universum corpus, aut determinatam ejus partem internam externámve occupante, etiam cum vel sine partis affectæ adjectione. Propriissimè verò & strictissimè citra adjectionem partis læsæ Hydrops sumitur pro Ascite infimi ventris. Quod rectè quoque monet *Jacchinus l.c.* ubi sic scribit: Propriè dicitur Hydrops, Ascites, ceteræ verò species per hujus similitudinem: & *Galen. l. de atra bile cap. ult. & 4. aph.* 11. Tympanitem ait ob tumoris similitudinem, quam cum Ascite abdominis habet, vocari Hydropem, proprium tamen Hydropem esse aquæ collectionem. Hinc etiam si quis absolutè Hydropicus vulgò appellatur, Ascite laborare intelligitur. Imò ipsi Medici quando in scriptis suis absolutè Hydropem nominant, Asciten plerumque intelligunt. Illum ipsum & ego intellectum volo, quando in præsenti dissertatione Hydropis absolutè mentionem fecero.

II.

Est autem Ascites tumor infimi Ventris, à seroso humore ibidem coacervato oriundus.

Affectus hic variè considerari, adeoq; etiam variè definiri potest. Vel enim ut tumor p. n. infimi ventris, & morbus in magnitudine aucta, quâ ratione à *Gal. l. de morb. c.16. & 14. m.m. c.13.* Hydrops morbis adnumeratur: vel secundum receptam plurimorum Medicorum opinationem, ut symptoma frustratæ hepatis sanguificationis, quâ de caussa *Gal. de diff. sympt. c.4.* eum inter symptomata reponit. Immeritò itaq; *Massar. l.3. Prax. c.16. & Argent. de sympt. cap.1.* Galenum hanc ob caussam reprehendunt,

dunt, quaſi ſibi ipſi hâc de re non conſtaret. Nam Galenus ad varia reſpiciens variè etiam loquitur. Et cum pro diverſo conſiderandi modo unus idemque affectus & morbus & ſymptoma appellari poſsit, etiam Hydrops, habitô reſpectu ad ejus cauſſam, vel ipſum affectum, & ſymptoma, & morbus dici poteſt, fatente etiam *Mercurial. Prax. Med. lib.3. cap.24.* Neque abſurdum, ut idem affectus pro receſſus à ſtatu naturali magnitudine, modò morbus ſit, modò ſymptoma, teſte *Sennert.l.5.Prax. p.1.cap.29.* Verùm hac de re non ita ſcrupulosè diſputabo, ſed impræſentiarum Aſciten conſiderabo ut morbum. Proinde in hac definitione loco generis proximi pono tumorem, quia conſpicua & inſignis magnitudo p.n. aucta adeſt, idcircò etiam ad morbum auctæ magnitudinis, ad quem omnes p.n. tumores, quatenus tumores, docente. *Gal.13. m. m. c.1. Sennert. inſtit. l.2.p.1.c.8.* & *l.5. Prax. p.1.cap..1.* & *Fallop.de tumor.c.3.* pertinent, rectè referri poteſt. Minus itaque accuratè *Zacutus Prax. hiſt. lib.8.cap.15.* & *Pereda comm. in Paſchal.meth. curand. l.1.c.44.* Hydropem, dum tumorē eſſe dicunt, ſymptoma nominant. Loco verò differentię ſpecificæ pono infimum ventrem ceu adæquatum hujus tumoris ſubjectum, quô ipsô ab Aſcite univerſali ſupremi ventris ſeu capitis, & medii, ſeu thoracis, atque ab aliarum partium corporis internarum externarúmve particulari differt: Atque cauſſam continentem proximam, humorem ſcilicet ſeroſum, quâ ratione à Tympanite diſcernitur, in quo hic venter à flatibus copioſis ita intumeſcit atque diſtenditur, ut manu percuſſus Tympani ſonum reddat, à quo etiam nomenclatura hujus deducta eſt, *Gorræo* teſte *l.de fin.med.* Et quamvis etiam in Aſcite ſæpè ſeroſo humori flatus admixti ſint, quod etiam *Hoffmann.* fatetur *Pathol. parv. cap.22.* & *de loc. affect. l.3.c.4.* item *Naſius part.2.ſpecul. m.m. ſ.3.tr.9. digreſs.1. q.5. Corteſius part.2. Prax. med.cap.21.Sennert. l.3. Prax.p.6. ſ.2. c.3. Cardanus comm. in Hipp. prog.2. & 3. Stegius Art. Med. l.3.c.20. Rondel. meth. curand. morb.cap.35. Paſchal. l.1. Prax.c.44. & Maſſar. l.c.* Vel quoniam, ut *Averroes 3. Collect.c.21.* docet, tenuis humoris portio in flatus convertitur; vel quoniam ut *Naſius l.c.* vult, alibi geniti hûc percurrere atque ſimul ad eundem tumorem concurrere poſſunt. Præponderat tamen ſemper in Aſcite ſeroſus humor,

ſicut

ſicut contra in Tympanite flatus. Adeoque rectè etiam ab eo, quod abundat, denominatio ſumitur. Aſt ex ſequentibus hæc clariora fient.

III.

Pars affecta, ſive ſubjectum, eſt vel ipſius affectus, vel cauſſæ. Subjectum adæquatum ipſius affectus, eſt infimus venter, Abdomen alias Anatomicis dictus.

Corpus humanum, nobiliſsimum & elegantiſsimum Dei Opt. Max. opificium ab *Oribaſio, Caryſtio, Ruffo, Ariſtotele*, aliisque Anatomiæ ſcriptoribus variè dividitur. Commodiſsimè tamen præter artus ſuperiores, manus, & inferiores, pedes, in tres dirimitur Ventres, ſupremum ſcilicet caput, medium Thoracem, & infimum, qui abſolutè, & ſtrictiori ſignificatu venter, & vulgò, licet minus propriè, Abdomen appellatur. Nam præterquam quòd *Spigelio* teſte *de fabric. corp. hum. lib.* 1. *cap.* 3. ineligans hæc vox ſit, & potius porcis, quàm homini, magno mundi miraculo tribuenda, valdè etiam æquivoca eſt, & modò pro partibus infimi ventris univerſalibus & propriis, modò pro muſculoſa parte & cute; quandoque pro partibus ventris continentibus propriis; ſæpicule pro anteriore & ſuperiore infimi ventris parte, non rarenter pro parte media & ſuperiore ejuſdem ventris ſumitur: Sicut apud celeberrimum Anatomicum *Caſpar. Bauhinum Theatr. Anatom. lib.* 1. *cap.* 3. videre eſt. Cùm autem ex uſu jam recepto, quô nihil τυραννικώτερον, à plurimis hæc vox pro infimo ventre corporis humani ſumatur, & nihil temere mutandum, ſed loquendum cum multis, ſentiendum verò cum paucis; nec ego hac in re ita religioſus ero, ſed promiſcuè hiſce vocabulis poſthac utar. Verùm enim verò dum infimum ventrem ſubjectum Aſcitæ ſeu tumoris aquoſi ſtatuo, nomine ejus non intelligò totum integrale, ut ex partibus continentibus & contentis conſtituitur; ſed internam ejus potiſsimum cavitatem à peritonæo expanſo circumſcriptam, partesque ejus continentes carnoſas, membranoſasque & molles, quæ extendi atque dilatari aptæ natæ ſunt. Et quamvis ſæpicule etiam ſcrotum, penis & cru-

rum, femorumque ſubcutanea ſpatia in Aſcite ſimul intumeſcant, attamen infimus venter, in Aſcite potiſsimum ſubitaneo, primò à ſeroſo humore intumeſcit, turgeſcit & diſtenditur, atque ex eo, veluti ſcaturigine in partes has decliviores defluit, ſimilemque in iiſdem tumorem parit.

IV.

Subjectum cauſſæ antecedentis, ſunt omnes ferè partes infimo ventre contentæ.

Quandoquidem de cauſſa ſeroſum humorem in Aſcite generante maximum inter Medicos ſit diſsidium, ut eò melius in ejus cognitionem pervenire poſſem, ſubjectum in ipſius affectus & cauſſæ dirimire volui. Subjectum ipſius affectus ſeu tumoris quodnam ſit th. 3. dixi. De ſubjecto cauſſæ continentis proximæ, ſive in quo ſeroſus humor ipſum tumorem excitans exiſtit, etiam nullum dubium eſſe poteſt, illud enim extra omnem controverſiam eſt ipſum quoque abdomen, ſeu venter infimus, ut magis patebit, ubi de cauſſa proxima agam: Verùm de ſubjecto cauſſæ antecedentis, ſive quænam pars ſit, cujus vitio ſeroſus humor generatur, coacervatur, atque in cavitatem imi ventris depluit, gravis & difficilis inter Medicos eſt controverſia. *Galenus, Celſus, Aetius, Ægineta, Actuarius, Trallianus, Aretæus, Arculanus, Trincavellius, Herc. Saxonia, Vidus, Vidius, Capivaccius, Hor. Augenius, Mercurialis,* & ii omnes qui Aſciten à ſolâ ſanguificatione læſa oriri exiſtimant, ſolum hepar cauſſæ antecedentis eſſe, acriter contendunt, hâc ratione moti, quòd in nulla alia parte, quàm in hepate ſangvificatio celebretur, unde & eandem læſam hepati acceptam ferunt. Et ſcriptum reliquit *Galen.* 5. *de loc. aff.* 7. nequaquam fieri poſſe Hydropem, niſi hepar ſit affectum. Idem reponit *Campanell. Art. Med. l.* 6. *cap.* 16. *art.* 5. *Sanchez l.* 3. *de morb. inter cap.* 21. & *Zacutus l. c.* ne particularem quidem hydropem, ut capitis, pulmonis, uteri, ſcroti, brachii, pedis, &c. citra læſionem primariam hepatis fieri poſſe, ſcribit: Putantque Galenici, imprimis Veteres Latini & Græci, hoc adeò manifeſtum eſſe, imò, ut *Cruſius* ait *theatr. morb. part.* 1. *cap.* 7. luce meridianâ clarius, & Sybillæ foliis verius,

rius, ut propterea nemo contrarium affirmare posſit, niſi qui indoctus aut contentioſus. Verùm enim verò non ſemper hepar laborare, ſed quandoque ſalvo etiam hepate alias partes infimi ventris, ut Lienem, Meſenterium, Omentum, Renes, Ureteres, Veſicam, Uterum, teſtes muliebres &c. ad generationem & collectionem ſeroſi humoris cauſſam proximam præbere poſſe, & ratio & experientia evincit. Quippe non ſemper Aſcites oritur à læſa ſanguificatione, ſed ſæpè numero etiam ab aliis cauſsis, uti etiam docet, *Sennert. l.3. Prax. l.c. q.1. & de Conſ. & Diſſ. cap.15. p.527. prim. edit.* atq; in progreſſu etiam planum faciam. Et poſitô quòd Hydrops fieri non poſſet, niſi ſanguificatio ſit læſa, non tamen inde rectè infertur; ergò hepar neceſſariò eſt læſum, & per conſequens boni & inculpati ſanguinis loco, ſeroſus & aquoſus humor ejus vitio generatur: Poteſt hoc fieri etiam vitio cordis, Lienis, Renum, &c. Nam non hepar unicum & principale ſanguificationis organum eſt, ſed & Cor, Cerebrum, Pulmones, Lien, Renes, imò totum arterioſum & venoſum genus ſanguificationem adjuvant, maximè verò cor, à quo etiam ſanguis ſuam perfectionem accipit. Cùm enim Chylus ex inteſtinis per venas lacteas ad glandulam magnam meſenterii ſ. pancreas Aſellii, & poſt ad venam portæ (ad hanc enim truncum venarum lactearum excurrere, ſæpius obſervavi) & ex hac ad hepar depellitur, non diu in hepate commoratur, ſed cum reliquo ſanguine permixtus ad cor rapitur, ex eo ad Pulmones, Cerebrũ, Hepar, Lienem, Renes & omnes corporis partes impellitur, tandem per venas ad cor, ceu promptuarium ſanguinis recurrit, ſicque reiteratis circulationibus à prædictis partibus, pro cujusque natura & conditione depuratur, alteratur, coquitur & tandem perficitur. Non prorſus diſsimili ratione ut in Chymicis infuſus liquor in vaſe circulatorio, Pelicano vel Dyota dicto aſcendendo & deſcendendo, ac quaſi in circulum agitatus, digeritur, exaltatur & perficitur. Et revera ſic eſſe, facilè percipiet is, qui circulationem ſanguinis, quam ingenioſiſsimus *Harvejus* primitùs invenit, & poſt eum clariſsimus *Wallæus* variis obſervationibus & primus confirmavit, & propugnavit, intelligit. Eam & ego infinities obſervavi atq; varia experimenta eum in finem feci,

etiam cum Clariſsimo Wallæo, Celeberrimæ Lugduno-Batavæ Academiæ Profeſſ. digniſsimo. Et quilibet facili negotio huncce ſanguinis motum in vivis animalibus obſervare poteſt, modò viſum ſuum conſulere, & oculis ſuis fidem habere velit, quod in Anatomicis & operibus naturæ contemplandis omninò faciendum, ut monet *Galen. 2. de uſu part. cap.3.* Proinde cùm ſanguificationis organum non ſit ſolum hepar, ſed & aliæ antea enumeratæ partes mutuas ad ſanguificationem operas conferant, ideoque nec ſolius hepatis, ſed & aliarum partium vitio ſanguificatio lædi poteſt, & propterea in Hydrope, aliiſque morbis, in quibus ſanguificatio læſa deprehenditur, non ſtatim ea de cauſſa hepar accuſandum. Præterea experientia omnium rerum optima magiſtra docet Hydropem ſalvo etiam hepate fieri. Sic *Tulpius lib.2. obſerv. cap.32.* à ſolo meſenterii ulcere hydropem excitatum quinquies ſe vidiſſe, teſtatur, & *cap.34.* Hydropem in muliere ab innumeris meſenterii hydatidibus ortum deſcribit. *Beverovitius* bis Hydropem obſervavit, in quo nullum, nec in hepate, nec in liene, ſed omne vitium in renibus erat, ſicut videre eſt *in tract. de calculo ren. & veſic. cap. 1. p.8. & in ſpecileg. de calculo. p.205.* ſimiliter Hydropis ab exulceratione renum obſervationem habet *Clariſsimus Platerus l.3. obſerv. 607. Benivenius de abd. morb. & ſanat. cauſſ. cap.34.* refert ſe vidiſſe in Moniali quadam Virgine, Aſciten ab urina, quæ ex læſa & pertuſa veſica in ventrem influxerat, reliquis viſceribus, hepate & liene ſalvis, excitatum. *Veſalius de Fabr. corp. hum. l.5. cap.9.* in Hydrope lienem vitioſum Epate planè ſalvo deprehenſum fuiſſe, teſtatur: Et *Dodonæus Prax. Med. lib.2. cap.66.* ſcribit, ſe nullius corpus Aſcitici apertum vidiſſe, cujus lien non erat tumidus & magnus, idcircò etiam putat ſolius jecinoris affectum ad Aſcitæ generationem non ſufficere, niſi ſimul lien malè quoque affectus, ac tumidus magnuſque redditus ſit, qui etiam ſolus (ejus utor verbis) ad Aſcitæ generationem ſufficere poteſt. Huic aſſentitur *Duretus,* qui *comm. Coac. Hipp. c.19. p.330.* Hydropem nullum ſine conſenſu & conſpiratione Lienis fieri aſſerit. Obſtructionem etiam levium arteriarum quandoque ſuccedere Hydropem, docet *P. Salius Diverſus de aff. part. cap.21.* Arabes quoque ex

Galeno edocti quòd etiam à colliquatione humorum in massa sanguinea interdum fiat Hydrops, de quo postea, etiam hydropem non semper hepatis, sed & renum vitio fieri statuunt. Præterea solo testiculorum vitio, salvô hepate, aliisq; partibus internis, Hydropem factum fuisse, Magnus ille Anatomicus, & Botanicus Clarissimus *Bauhinus* annotavit, ut apud *Schenck. l.3. observ.* videre est: & similem ab eadem caussa observavit *Heintzius*. Ego ipse etiam in Nosocomio Leidensi bis observavi Hydropem salvo hepate, vitiô Lienis, & semel renum vitio excitatum. Optimè hoc intellexit Divinus *Hippocrates*, dum *2. Prognost.* expressè dicit *ἄρχονται ἢ οἱ πλεῖστοι ἀπὸ τῶν κενεώνων καὶ τῆς ὀσφύος, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ἥπατος*; incipiunt pleriq; hydropes vel ab ilibus seu inanibus locis, vel ab hepate; ubi *τῆς ὀσφύος* nomine renes intelligit, per *τὰς κενεῶνας* verò lienem, mesenterium, intestina, uterum, &c. Unô verbô omnes eas partes, quæ inter extremas thoracis costas, & coxendicis ossa continentur, & tamen ab hepate differunt, scilicet tam latè apud *Galen. in prognost.* *οἱ κενεῶνες* patent. Et *l. de morb. Hipp.* inquit: *γίνεται ἢ καὶ ὕδρωψ ἀπὸ τοῦ σπλενὸς, ὅταν νοσήσῃ.* Licet verò Galenus ejusque asseclæ etiam doceant Hydropem quandoque fieri vitio lienis, renum, mesenterii, uteri, &c. non tamen proximè ab hisce eum oriri volunt, sed hepar ab hisce partibus in consensum trahi, adeoque in omni hydrope hepar semper vel primariò vel secundariò affici, & salvo hepate nullum Hydropem contingere ad ravim usque clamitant. Ast quantùm illi à janua aberrant!

V.

Caussa Ascitæ vel *συνεκτικὴ*, vel *προηγουμένη* est. Caussa *συνεκτικὴ* continens & immediata est serosus humor in imo ventre subsistens.

Asciten infimi ventris tumorem & extuberantiam p. n. esse th. 2. & 3. dixi. Intumescit autem & extuberat venter, quia à seroso humore repletur. Hunc enim proximam, immediatam & continentem hujus intumescentiæ & protuberantiæ

caussam esse nemini non notum, & ipsa confirmat experientia, quâ constat in hoc affectu tantâ copiâ in imo ventre serosum humorem coacervatum fuisse, ut Clarіs. *Platero* teste, *l.3. Prax. p.m.253.* paracentesi in vivis adhuc, vel sectione in mortuis factâ ejus sexaginta & plures libræ adhuc remanserint, cùm multum prius de eo per pedes effluxisset. Et *Hercules Saxonia l.3. Prax. cap.23.* centum & quinquaginta aquæ libras in Hydropico quodam observavit. Imò *Beniven. de abdit. sanit. caus. cap.12.* cujusdam pueri meminit, cui solutâ umbelici unitate aqua tanto impetu erupit, ut supra ventrem cubitos tres adscenderet. Et *Fabric. Hildanus cent.5. p.155.* scribit se vidisse in Xenodochio Basiliensi hydropicam, ex cujus ventre triduo ante obitum ruptô umbilico ultra mensuras octodecim Basilienses aquæ effluxerant, & cum cadaver à Clarіs. Viro Dn. D. Thoma Platero, præsentibus Viris clarіs. Dn. D. Caspar. Bauhin. Petro Ryffio, multisq; aliis apertum fuisset, adhuc aquæ mensuras viginti effluxisse. Et quamvis sæpe etiam flatus adsint, ut jam th.2. monui, tamen ii in hac hydropis specie non ita attenduntur, cùm semper serosus humor superet, & à potiori fiat denominatio. Nec de necessitate est, ut semper flatus adsint, ut rectè monet *Nasius l. c.* Venter autem à seroso humore repletur, vel quia is sensim & paulatim congeritur, vel quia ἀθρόως & confestim influit. Unde etiam Ascites seu tumor ventris aliquando subitò & confestim, aliquando sensim & paulatim accidit, scilicet prout humor iste vel per ῥευματισμὸν, vel per συναθροισμὸν colligitur. Colligitur verò & continetur humor serosus plerumque in cavitate ventris inter Zirbum & & Siphac, ut Arabs loquitur, intestina & peritonæum, ut *Gal.* vult in *introd. cap.3.* aut etiam inter omentum & intestina, *ut 7. aph. cap.5.* habet, unô verbo inter partes in imo ventre contentas. Equidem *Vidus Vidius de curat. membr. l.10. c.5. Jacchin. comm. in 9. lib. Rhas. c.52. Liddel. Art. Med. lib.3. cap..2. & Petræus Nosolog. Part.2. Disput.35.* etiam inter peritonæum & cutem abdominis externam illum quandoque redundare, tradunt. Et *Riolanus Anthropograph. l. 2. cap. 12.* in muliere quadam hydropica serosum humorem inter peritonæum & abdominis musculos observavit,

servavit, qui eò per venam umbilicalē erosam & fistulosam influxerat. Similiter Clariss. *Sennertus Paralipomen p.*150. tumoris cujusdam rari & miri inter peritonæum & musculos abdominis, qui in fœmina quadam hydropem mentiebatur, meminit. Verùm rarissimum hoc. Sæpè autem is colligitur in vesiculis hydatidibus dictis, quæ vel peritonæo, mesenterio, intestinis, aliisve partibus internis adhærescunt. Harum ex veteribus Græcis *Aretæus* meminit, *l.*4. *de sign. morb. acut. cap.*1. easque recentiores plurimis observationibus confirmarunt, atque illustrârunt. Admirandam illarum historiam habet *Corbæus comm.*5. *ad l.*1. *Hipp. de morb. mulier.* ubi scribit mulierem quandam hydropicam Lutetiæ Anno 1587. mortuam esse, in cujus eviscerato cadavere nulla capacitas, i.e. nullum cavum deprehensum fuit, in quo nō vesica pendebat, loco illi exactè æqualis & conformis, qui suo ambitu ipsam contineret. Locos autem cavos dicit fuisse non vesicam tantùm, renes, uterum, sed & ventriculum, intestina, cor, pericardium, & id genus reliqua, è quibus pro ut tàm intus, quàm foris cuiq; locus obtigisset, cystes pendulæ conspiciebantur aquâ citrinâ oppletæ, & sine omni fœtore etiam post 20. diem. Nec partes supernas exceptas fuisse ad jugulum usque, sicut neque hepar, neque lienem. Et si quis universas in numerum redigisset 800. numero superasse, dicit, &c. Similem ferè historiam recenset *Horst. Epist. Med. l.*2.*s.*20. Matrona quædam inquit, Anno 1612. suppressis mensibus, incidit in hydropem, vacuus & cavus alias erat totus venter, consumpta omnia, pinguedo in mesenterio nulla, subsidit ventriculus penitus, sed in omnibus intus viscerib. stabulabatur ingens aquæ copia ultra mensuras 60. ipsaque viscera plena erant vesicis duplicatis, veluti in carpionibus eximuntur, è quibus materia viscosa & aquosa sectis erumpebat: ejusmodi vesiculis pendulis (numerus excessit nongentas) scatebant renes, uterus, ventriculus, intestina, cor, pericardium, epar & lien, &c. Aliam observationem habet *Tulpius l.*2.*observ.cap.*34. de filia hydropica cujusdam Pharmacopolæ, in qua post obitum dissecta insignis in mesenterio repertus est tumor libras 20. ponderans, tectus quidem extrinsecus membraneo involucro, sed intus pluribus vesiculis aqua

lis aqua

lis aquâ limpidâ distentis refertus. *Zacutus* verò *l.2. Prax. admirand. observ.* 45. scribit, se in muliere quadam paupere, cujus venter in immensam molem cum summa corporis tabitudine & gracilitate distentus erat, post obitum ventre resectô inter peritonæum & intestina duas vesicas observasse, quarum una bovinæ vesicæ urinariæ prægrandis magnitudinem superabat, quibus disruptis tanta fœtidæ aquæ copia mucoso humore permixta effluxit, ut vas 30. librarum capax adimpleret: Et *l.8. hist. princip. Med. hist.* 524. *observ.* 28. narrat Baronis cujusdam conjugem quinquagenariam Ascite septennio laborasse, apertô verò post mortem ventre inter peritonæum & intestina numerosam vesicarum struem inventam fuisse, quæ bullæ aquatilis instar molles & lucidæ erant, inter se conjunctæ numero 52. & magnitudinem ovi non excedebant. His disruptis limpidæ aquæ at salsissimæ tanta copia emanavit, ut 12. libras adimpleret. *Solenander* etiam *sect.5.consil.15.p.489.* scribit, se vidisse Hydropicum, in cujus latere sinistro sub splene intra peritonæum & musculos ventris natura fecit aperturam, ex qua extraxit vesiculas plures quàm ducentas, ovi gallinacei magnitudine, molles & aquæ putridæ plenas. Atque aliquot de hac Hydropis specie observationes etiam collegit *Schenckius l.3. observ.* Ipse, etiam cùm adhuc in Celeberrima Leidensi Academia Medicinæ operam navarem, in Hydropici ventre post obitum in Nosocomio aperto plurimas hydatides peritonæo & diaphragmati adhærescentes notavi. Potestque hæc Hydropis species forsan non malè Vesicularis appellari. Atque has observationes hîc potissimum citavi, ut etiam ex illis constaret, non solius hepatis, sed & aliarum partium vitiô, uti jam th.4. monui, hydropem Asciten fieri posse. Cæterùm quid per serosum humorem intelligam, rectè jam explicandum. In genere & latè serosus humor teste *Sennert. Inst. Med. lib.2. p.2. cap.*27. omnis humor aquosus tenuis & fluxilis dicitur, strictè verò & in specie is saltem, qui non solùm aquosus est, sed & ob quandam salsedinem cum sero convenientiam habet. Hînc quatuor, quæ humoris serosi nomine hîc venire possunt, invenio. Primò serosus humor appellari potest aquea illa humiditas sive cum cibis ingesta per se, sive ex cibis

cibis expreſſa & chylo affuſa, quæ à *Carolo Piſone de morb. ſeroſ. in præfat. th.* 1. impropriè ſerum appellatur. Secundò ſanguis aquoſior & dilutior, qui vulgò ἰχὼρ dicitur. Tertiò tenuis, acris & ſalſus humor, qui propriè ſerum & ὄῤῥος nominatur: Ut ut hæc duo vocabula ſæpè ſynonyma ſint, & ſæpicule ſerum nomine ichoris, & ichor ſeri nomine appelletur, ut oſtendit *Hoffman. in collect. de Ichor. num.* 12. & 13. Qui etiam non malè ichorem in mitem & acrem diſtinguit, illumque ſanguineæ maſſæ partem tenuiorem & dilutiorem eſſe dicit, acrem verò illud tenue, quod à ſanguine & humoribus ſeu colliquatis, ſeu corruptis, ſeu quacunque de cauſſa ſalſis & acribus oritur. Omninò enim docente *Sennert. l. c.* ad ſeri naturam pertinet, ut non ſolùm humidæ & aqueæ ſubſtantiæ ſit, ſed & ſalſuginem quaſi quandam in ſe contineat. Quartò colamentum illud renum in veſica collectum, urina dictum. Quippe & ab hoc veſicâ diſruptâ Aſciten ortum fuiſſe, *Benivenius* obſervavit, ut jam th. 4. dictum; & ſimilem Aſciten etiam clariſsimus *Platerus* vidit in quodam viro, cui benè poto humiq; ſtrato alius quidam in ventrem inſidens, eô impetu veſicam diſrupit, atq; ſic lethali Aſcitæ occaſionem præbuit, ut ſcriptum reliquit *l. 3. Prax. p. m.* 265. Atq; hæc quatuor nomine ſeroſi humoris intelligo, & ab his Aſciten excitari poſſe, puto. Quapropter etiam in horum vocabulorũ acceptione impoſterum ita religioſus non ero, cum nec ipſi Medici Practici hæc ita ſtrictè obſervent, ſed modò hunc humorem ſerum aſolutè, modò aquam ſalsâ humiditate permixtam, ſæpicule verò aquoſum humorẽ appellent. Rariſsimè tamen Aſcites oritur ab urina, rarò etiam ab aquosâ illa humiditate, cùm vix illa pura puta in corpore reperiatur, ſed ut ipſe etiam *Piſo l. c. th.* 2. fatetur, humores inter decurrendum per vaſa abſtergat, diluatque, & ſibi neceſſariò immiſceat partem aliquam ex iis ichoribus, qui in ſanguine redundant, eamque ſibi affuſam ſecum devehat, & tranſportet, quocunq; fertur. Præterea ſeroſus hic humor varii ſæpè coloris in ventre reperitur. Plerumq; pallidus & citrinus eſt, unde Germanis etiam das gelbe Waſſer dicitur. *Marcellus* tamen *Donatus hiſt. med. mirab. l.* 4. *c.* 21. luteum & viridem obſervavit. *Garinonius*

*consil.*194. flavum in nigrum vergentem. *Fabr. Hildanus cent.*2. *obs.*57. loturæ carnium recens mactatarum similem : *Scholiographus ad c.*39. *l.*1. *de int. morb.Holler.* planè cruentum & loturæ carnium saturatæ sanguine similem vidit. Est autem hic humor, vel dum colligitur, talis, vel antea non est talis, sed per corruptionem, sive alterius humoris admixtionem talis evadit. Præter hanc caussam, serosum scil. humorem *Herc. Saxonia* & *Alexand. Benedictus* alias adhuc caussas ponunt. Et *Herc. Saxonia* etiam à sanguine Asciten fieri asserit, scribitq; *l.*3. *Prax. cap.*32. fuisse quendam religiosum, qui patiebatur Herniam, & cùm semel factus esset intestinorum prolapsus, repentè factum esse hydropicum, & eâdem etiam die tabidum. Cùm verò post 14. dies mortuus esset, inventas fuisse 10. vel 14. libras sanguinis, quibus evacuatis venter ita detumuit, ut nulla amplius moles consisteret. *Alex.* verò *Benedictus l.* 15. *Prax. cap.* 28. putat Asciten etiam fieri posse ab excrementis vel pure, cùm nimirum intestinô, aut jecoris apostemate ruptô ventris cavum eis excrementis impletur, vocatq; Barbarorum more Asciten purulentam & excrementitiam. Et compertum etiam est, pus ex rupto epatis abscessu in ventris cavitatem effusum fuisse, & tumorem excitasse, ut notat *Sennert. l.* 3. *Prax.* §. *de inflam. Epatis.* Ab alvi etiam excrementis ex intestinis vulneratis elapsis & intra peritonæum collectis in uxore cujusdã Medici ventrem in tantam molem distentum fuisse, ut vix genitales suas partes manu propriâ contingere quiverit, (sordium enim tanta fuit quantitas, ut quatuor urnas implere potuissent, quarum singulæ quadraginta libras continent: in qua tamen miseria misera annos [plus minus] duos vixit) *Benivenius l. c. cap.* 35. testatur. Verùm enim verò distinguendum est inter tumorem ventris absolutè sic dictum, & Asciten seu tumorem serosum: ille à vario humore, & variis causis fieri potest; hic non nisi ab humore seroso: adeoque latiùs patet tumor ventris ita dictus, quam Ascites. Et Ascites est tumor ventris, ast non omnis tumor ventris est Ascites. Porrò ex Hermeticis *Crollius P. Severinus & Scheunmannus* Ascitæ caussam proximã statuunt sal aluminosum microcosmi resolutum. Horum antesignanus fuisse videtur *Paracelsus*, qui *l.*2. *de tartar tr.*2. *cap.*6. & *infrag. de tart.* §.

de Hydro-

de Hydropisi, Hydropem definit quod sit paſsio in regionibus epatis orta ex tartaro aluminoſo ſub primo corpore per reſolutionem propriæ naturæ, deinceps per ſpiritum mineralem illius membri unius ex ſeptem totius corporis, is poſt reſolutionem primam ſecundam ſequitur, hoc eſt, ab extra, vel intra, vel extra regionem per totum corpus. Et quoniam ipſi ſeptem ſunt membra principalia, cerebrum ſcil. cor, pulmones, hepar, lien, renes & fellis veſicula, & per conſequens ſeptem ſpiritus minerales, ſeptem etiam Hydropis genera conſtituit, eorumque ſigna & curationem ibidem prolixè tradit. Et hydropem ex ſale partiũ microcoſmi reſoluto fieri, adhuc expreſsiùs *l.4.cap.prop.* docet, ubi allegoricè illud per imbrem declarat, tandemque concludit, ſale corrupto, atque partibus in aquam reſolutis de vita actum eſſe: Velut ipſe loquitur: Vnd ſo die Glieder zu Waſſer werden vber den Regen ſo hinnein felt/ ſo wiſſe das der Tod iſt/ der nächſt zufelt/ꝛc. Verùm in horum refutatione nolo eſſe prolixus. Quis enim non videt ineptam & inſulſam hanc eſſe opinationem. Ecquis tàm infrunniti ingenii eſt, ut credat ex ſale horum viſcerum ab influentia interni cœli microcoſmici ſeu ſtellæ hydropicæ reſoluto tantam aquę copiam in ventre colligi poſſe? Equidem humor ſeroſus in corpore hydropicorum collectus ſalſus eſt, attamen illam ſalſedinem non habet à ſale viſcerum reſoluto, ſed potius à ſale crudo, qui cum alimentis, quibus ſæpe copioſè ineſt, aſſumitur. Si enim alimenta in ventriculo non benè coquantur, & fermentatione, ac πνδυμάτώσει puriora, ſubtiliora & ſpirituoſiora reddantur, chylus partibus craſsis, ſalſis ac tartareis permixtus ad hepar & cor propellitur, atq; ſic crudi, craſsi & fixi humores, ſeu ut Chymici loquuntur, tartareorum humorum colluvies in corpore coacervatur. Proinde hydrops ex ſale reſoluto non fit, ſed potius, ſi ex Chymicorum principiis loqui libet, ſalis σωμάτωσις in aquoſo humore abundat, ut rectè loquitur *Sennert. lib.2. de febr. cap.17.* Cæterùm quamvis in hoc āliisq; multis Paracelſus non ſit laudandus, attamen non prorſus propterea damnandus atque omnibus convitiis inſectandus. Nam & plurima egregia ejus ſcripta habent, quæ ſuam

laudem etiam merentur. Quare illos laudare non possum, qui sæpe sinistrè & mutilatè Paracelsum allegant, alienumque sensum ipsius verbis affricant, ut sic illum aliis magis contemptiorem reddant. Quod etiam in hoc affectu ab aliquibus factum, dum simpliciter scribunt, Paracelsum §. de Helleboro novam & absurdam hydropis caussam effingere, dicendo Hydropem eodem modo exsurgere, veluti Moyses virgâ suâ rupem in Horeb percutiens aquam effluere fecit. Sic autem ille *Tom.7.l.7.p.m.43.* So ist in guten wissen / das im Menschen ein Brunn aufffteiget / von dem Wasser gehet so viel / das nicht gläublich ist denen / die es nicht gesehen haben / gleich alß hette Moyses mit einer Rüthen in die Leber geschlagen / vnd laufft nichts herauß alß Wasser für vnd für / (alß vielleicht nicht wol anders seyn mag / dann das Gott also ein Rüthen schlegt / wie Moyses.) Nun aber dieweil Gott gnädig ist / so gibt er auch Artzney widerumb / ꝛc. Hæc sunt ipsissima Paracelsi verba. Quid autem per hæc intellectum velit, facilè intelligere est. An autem illud modò citatum contineant, & an ita absurdè & impiè hîc loquatur, benivolo lectori judicandum relinquo.

VI.

Caussa προηγουμένη est humor serosus, qui in corpore ejusve parte determinata coacervatus nondum effluxit, ast effluere, & imum ventrem in tumorem attollere potest.

Serosus humor, qui caussa Ascitæ, duplici ratione vim & naturam caussæ induit. Vel enim est caussa proxima & continens, quatenus nimirum jam effluxus infimum ventrem actu in tumorem attollit: vel est caussa antecedens, quatenus nimirum in habitu corporis vel aliqua ejus parte coacervatus nondum effluxit, ast in imi ventris cavitatem influxus, aut etiam intra tunicam partis alicujus externam subsistens, & hydatides excitando eundem in tumorem p. n. attollere potest. De hac autem caussa, scil. qui humor serosus in Ascite coacervetur, & ad imi ventris cavitatem perveniat, valde Medici inter se litigant. Galenus & ad unum ferè omnes, qui cum Galeno

in omni

in omni Ascite hepar affectum esse contendunt, humorem serosum coacervari statuunt, ob hepatis sanguificationis frustrationem. Verùm ut ut in hoc cum Galeno consentiant, attamen de caussa frustratæ sanguificationis maximè dissentiunt. Quippe *Aegineta, Aëtius, Celsus, Actuarius, Aretaus, Trincavellius, Jacchinus, Valescus de Taranta, Montanus, Mercurialis, Massaria, J. C. Claudinus, Cortesius, Erastus, Joel. Zacutus, &c.* cum Galeno nominant intemperiem frigidam. Contra *Avicennas, Averroes, Rhases, Arculanus, Nicolus, Alex. Benedictus, Trallianus, Christ. à Vega, Platerus, Smetius* præter intemperiem frigidam etiam calidam admittunt. *Cardanus* verò *Argenterius* & *Campanella* solam intemperiem epatis calidam & siccam concedunt. Verùm enim verò

Non nostrûm inter eos tantas componere lites.

Paucis dicam: Serosus humor coacervatur, vel quoniã copiosè generatur, vel nõ nimis copiosè genitus retinetur. Generatur copiosior vel vitio materiæ, vel vitiô causæ efficientis. Vitiô materiæ quando multi cibi aquosam & serosam substantiam nimiam habentes assumuntur, de quibus th. 7. Vitiô causæ efficientis, hepatis sc. lienis, & quandoque ventriculi & cordis, cùm sc. frigida vel calida sunt. Frigida ob acceptam intemperiem frigidam, vel ob calidi nativi aut defectum, aut dissipationem, aut extinctionem. Calida, ut in colliquatione, quando sanguis ab ardente calore colliquatur, & serum, ab eo segregatur atque separatur, unde ὑδερώδεις καταςάσεις fiunt, ut *Galenus* loquitur *l. 3. de sympt. causs. c. 2.* id est, subitanei hydropes, ut Doctiss. *Hoffmannus* interpretatur, *de loc. aff. l. 3. c. 4.* & *in collect. de Ichoribus n. 95.* Horum etiam meminit *Hippocrat. 2. prog.* 1. & 1. *Epid. s. 2. t. 35. & 36.* scilicet, quando illud colliquamentum per alvum aut vesicam non evacuatur, sed per arterias in ventrem eructatur. Et vero simile est etiam ipsas hydatides, quarum generationem se ignorare, ingenuè fatetur *Aretaus l. c. Carol. Piso* verò *de morb. seros. p. 314.* ex puris parte aliqua concrescente & à calore excocta fieri putat, ab hoc ipso colliquamento fieri, cùm nimirum illud serum per capillares ramos in partem illam, cui ipsæ hydatides adhærent,

delatum & exitum non habens membranam ejus externam divellit, atque diſtendit. Eſt autem colliquatio hæc, quæ σύντηξις Galeno, non propriè dicta, qualis in febribus ardentibus & hecticis accidit, cùm pinguedo & caro diffluit & colliquatur, ſed σύντηξις impropriè dicta, quæ σύγκαυσις potiùs, ut benè monet *Hoffmannus l. c.* & οἷον ἀναστοιχείωσις ἢ ἀνάλυσις, ut *Galenus l. c.* explicat; fit enim ſaltem reſolutio & ſegregatio ſeri. Idcircò hanc Hydropis ſpeciem non videntur benè intellexiſſe *Liddelius* & *Petræus*, qui ſcribunt hypropem ex colliquatione fieri, quando ex colliquatione corporis & ſuccorum in venis multa ſanies ſub cute colligitur. Cùm tamen expreſſis verbis *Galenus* & *P. Salius l.c.* doceant, eum non fieri à colliquatione pinguedinis, vel carnis, vel partium ſolidarum, ſed duntaxat à reſolutione maſſæ ſanguineæ in ichoroſum humorem. Sed quæreret hîc aliquis, an σύντηξις ſive ἀνάλυσις hæc etiam poſſet fieri à frigore, ſicut in ſanguine V. S. emiſſo, ubi ſanguine concretô ſerum ſeorſim exiſtit. Verùm non credibile videtur tantum frigus in corpore adhuc vivo exiſtere poſſe. Coacervatur tandem aliquando ſeroſus humor, licet copioſius non generetur, quia, ut debebat, non evacuatur, quando ſcilicet renum expultrix debilitata, aut eorum parenchyma à calculo contritum eſt, aut quando renes, ureteres, veſica aut cutis pori obſtruuntur.

Cæterum quomodo & per quas vias ſeroſus hic humor ad ventris cavitatem perveniat, maximè quoque à Medicis controvertitur. *Avicenn. l. 3. can. fen. 14. tr. 4. c. 5.* putat ſeroſum humorem in capacitatem ventris commeare vel per reſudationem jecoris & venarum, vel per vaſa umbilicalia à ſeroſo humore humectata & rarefacta ac diſtenta; vel per aliàs vias nobis incognitas. Obſcurè de his loquitur *Hippocrates 7. aph. 55.* dum inquit: quibus hepar aquâ refertum in omentum eruperit, is venter aquâ repletur, ac moriuntur. Hoc Galenus interpretatur de hydatidibus epatis, quibus disruptis aquam in eam peritonæi regionem influere ait, quæ eſt ſecundum ἐπιγάστριον, id eſt, inter peritonæum & inteſtina, in omenti autem cavitate colligi poſſe illum humorem negat, niſi id

ipſum

ipſum erodatur. Aliter ac eleganter hunc Aphoriſmum explicat *Spigelius 8. de corp. hum. fabr. cap.6.* ubi tres vias deſcribit per quas ſeroſus humor in cavitatem ventris venire poteſt. Primam dicit eſſe exteriorem jecoris partem, quam tegit membrana à peritonæo oriunda, & quæ nullô modo omẽto includitur, aut eidem etiam alligatur. Ex hac parte hydatidibus disruptis ſeroſi humoris fluxionẽ in ventris cavitatem fieri poſſe aſſerit, vel etiam citra veſiculas, perruptâ illâ membranâ à magna ſeroſi humoris copia, vel exeſâ etiam à nimia ſeri acrimonia, vel etiam ſine manifeſta continui ſolutione, ſive tunicæ & membranæ exterioris, ſive etiam ipſius ſubſtantiæ per cæcos nimirum membranæ ductus ampliores factos ob membranæ à copiâ humoris dilatationem atq; attenuationem. Alteram viam ſtatuit eſſe venas per omentum diſſeminatas, ſi nimirum earum tunica humoris copiâ dilatetur vel acrimoniâ exedatur. Tertiam viam Galeno & recentioribus hactenus ignotam dicit eſſe lobulum in cava hepatis parte juxta portas hepatis ſitum, ſubſtantiâ molliſsimâ & tenuiore membranâ cinctum, qui in ipſam omenti cavitatem totus exporrigitur. Per hunce lobum commodiſsimè ſeroſum humorem in omenti cavitatem ex jecore erumpere poſſe aſſerit, qui rurſus ex omento in ventris capacitatem de facili influit, cùm ob raram membranæ texturam aquam retinere non poſſit; quod aliquando aquâ infuſâ in Theatro Anatomico Leidenſi publicè demonſtravit *D. Falcoburgius* Celeberrimus & accuratiſsimus Anatomicus. Cæterùm *Sennertus l. 3. Prax. l. c.* probabiliorem eorum putat eſſe ſententiam, qui ſtatuunt è venæ portæ propaginibus per omentum ſparſis, & præcipuè ramo gaſtroepiploico dicto in omentum ſeroſum humorem in venæ portæ ramis ſubſiſtentem fluere, & hinc vel tunicis earum rarefactis, aut oſculis patefactis in cavitatem imi ventris ſtillare. *Fernelius* autem *l. 6. de morb. part. & ſympt. c. 8.* omnes turpiter hallucinari affirmat, qui putant per anguſtos cœcosq; poros ſeroſum humorem transmitti in capacitatem abdominis. Ipſe verò ſtatuit iſtud maximè fieri ex ſoluta continuitate partium, aut vaſorum, quibus humores contineri ſolent, adeoque vult ſeroſum illum humorem in ventris cavitatem de-

ſcendere

ſcendere, quoniam exeſum, apertum, ruptum fiſſumque aliquid eſt, ſicuti ſuppurans Pleuritis exesâ, aut diſciſsâ pleurâ ſtatim irruit in capacitatem thoracis, &c. Novum etiam nulliq; hactenus animadverſum ſeri generationis & collectionis modum proponit *Georg. Graſſeccius l. de Autograph. vit. human. delin. jatric. c.* 11. *& in præfat. ad lector.* docendo : aquas illas nullo modo vitio hepatis in abdomen confluere, eò quòd hoc ipſum excrementa ſua per venas emulgentes & hinc per ureteres evacuare poſsit, ſed ex longo longè altiore principio, viſcerisq; vitio & malignitate, ſupremo ſcilicet & medio ventre (cùm hi duo ventres quaſi contabeſcant, infimusque tantò magis extendatur) intra cutem colligi. Verùm nugæ hæc ſunt. Ego, ut multa paucis comprehendam, ſeroſum humorem in capacitatem imi ventris deſcendere puto, viarum vitio, quando illæ aperiuntur vel per *ἀναστόμωσιν*, vel *διαίρεσιν*, vel *διαπήδησιν*. Per vias autem hîc intelligo venas & arterias omenti & meſenterii. Quid ni enim natura ſeroſi humoris redundantiâ laceſsita & per has in ventris cavitatem eum effundere poſſet, & cur non ſponte etiam per eroſa vaſa in ipſam capacitatem defluere poſſet? item venas lacteas. Nam & ex harum ruptione in viro quodam generoſo Aſciten ortum fuiſſe, obſervatum: & expreſsis verbis idem docet *Avicenna l. c.* Colligitur, inquit, etiam aquoſus humor in capacitate ventris, quando venæ, quæ chylum deferunt, aut franguntur, aut corroduntur, &c. De venis autem lacteis non poſſum non unicum adhuc hîc monere, nimirum Aſellium, quando dicit haſce venas miris anfractibus, gyris, mæandris, flexibus & circumvolutionibus per pancreas diſſeminari atque intorqueri, non intelligere corpus glanduloſum ventriculo ſubſtratum, quod vulgò pancreas, & calicreas Anatomicis dicitur, ſed magnam illam glandulam, quæ in medio meſenterii eſt, quam Pancreas *Aſellius in tractatu ſuo de venis lacteis p.* 8. 25. 37. *&* 38. nominat, eamque litera *L.* in *tab.* 1. *&* 2. deſignat. Unde apparet Clariſsimos Viros Dn. Sennertum, Laurenbergium & Coringium (quod pace tantorum virorum dixerim) Aſellium non benè intellexiſſe, nec minùs graviter erraſſe. *Sennertus* enim *l.* 3. *Prax. p.* 3. *c.* 1. *&* 7. *pag.* 436. *&* 456. *Laurenberg. Colleg. Anatom. Exercit.* 5. *de*

pancreate

pancreate th. 26. & *Coringius de sangu. gen. & motu n. exercit.* 1. *c.* 3. *p.* 11. & 12. per pancreas, quod Asellius vocat, intelligunt pancreas vulgò dictum, quod ventriculo substernitur, & omnia ea, quæ Asellius suo pancreati, id est, glandulæ illi magnæ mensenterii attribuit, illi de vulgari pancreate accipiunt. Propterea etiam *Sennertus* nobiliorem usum pancreati asignat, sicut videre est. *l. c. p.* 456. §. *de pancreate, &c.* Sed hæc ἐν παρόδῳ. Ad vitium viarum etiam pertinent fissuræ parenchymatis hepatis vel lienis; renum vel ureterum exulceratio & erosio: quas *Platerus*, *Beverovitius* & *Corbæus* observarunt: Item harum aliarumque partium hydatides, in quibus serum paulatim colligitur, quæ si tandem rumpantur, etiam magna serosi humoris copia in capacitatem ventris effunditur: Item vesicæ vulneratio, quæ etiam aliquando Asciten lethalem excitavit, *Platero* & *Benivenio* teste. Atque pro harum caussarum variatione & magnitudine etiam Hydrops vel sensim & paulatim, vel subitò & confestim oritur. Equidem non sum nescius, plurimos Medicos eum hydropem, qui fit subitò à colliquatione sanguinis, vel ruptione, aut erosione prædictorum viscerum, pro vero hydrope non agnoscere: Verùm rationes, quas afferunt elumbes sunt, & meræ petitiones principii. Videamus saltem argumenta Petri Salii Diversi, quibus probare conatur, à caussâ viscerum calida & colliquatione sanguinis non posse fieri hydropem. Primum est, quia hic tumor ventris non magis generatur vitio hepatis, quàm aliarum corporis partium, & quidem ab intemperie calida. Alterum est, quià materia, quæ in hoc casu, vi colliquationis gignitur, potiùs est calida, quàm frigida: at in verô hydrope omnis materia est frigida. Tertium, quia verus hydrops sensim generatur, at hic subitò, ita, ut ipse observârit, unicâ vel alterâ die à colliquato sero ventrem adeò intumuisse, ac si Ascite per menses plures ægrotantes laborassent. Verùm hæc tantum dicuntur non autem probantur. Quibus rationibus probat, quòd omnis verus hydrops fiat sensim, & quod ejus caussa continens semper debeat esse frigida? & tandem quæ necessitas, ut omnis hydrops fiat solius hepatis vitiô, & quidem ab intemperie frigida? Quoniam Galenus hæc dicit. Illud nimirum est

quod bonis viris umbram facit. Et certè ſi ejuſmodi imi ventris tumores à ſeroſo humore oriundi nomen hydropis ſeu Aſcitæ non merentur, ad quam quæſo, tumoris ſpeciem erunt referendi, & quo nomine appellandi? non ad inflammationem, non Eryſipelas, nõ œdema, non ſcirrhum, non ἐμφύσημα, aut alium ſimilem tumorem, quia hi non fiunt à ſanguine, aut humore bilioſo, pituitoſo, melancholico, aut flatibus, aut alia ſubſtantia ſolida, ſed ab humore aquoſo ſeu ſeroſo, qui hydropes, id eſt, aquoſos tumores conſtituit. Quippe, ut th. 1. jam demonſtratum, ὕδρωψ ἀπὸ τοῦ ὕδατος, aquâ nomen habet, & in genere omnes tumores aquoſos ſive ſeroſos denotat, ideoque & hi tumores nomine hydropis meritò gaudent.

VII.

Cauſſa Aſcitæ προκαταρκτικὴ præincipiens, eſt omne illud, quod primam hujus mali occaſionem præbet; ſive quod cauſam προηγουμένην excitare & movere poteſt.

Cauſſas προκαταρκτικὰς nomino, quæ cauſſas προηγουμένας præcedunt, easque ad morbum inducendum excitant & movent, ſive externæ, ſive internæ illæ fuerint. Sic cauſſæ προκαταρκτικαὶ Aſcitæ ſunt, quæcunque ad generationem & collectionem ſeroſi humoris primam occaſionem ſuppeditant, aut quæ διάθεσιν morboſam movent & excitant. Tales ſunt 6. res non naturales Medicis dictæ; Aër ſc. cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, atque animi παθήματα. Primò aër hic nocet frigidus, craſſus, humidus & nebuloſus, Autumnalis imprimis & Vernalis, quatenus ſuperfluos humores & cruditates generat, vel generatos variè agitat & commovet. Neque calidior juſtô hîc eximendus, quatenus ad aduſtionem & colliquationem humorum occaſionem præbet. 2. Cibus & potus, ſive eſculenta & potulenta peccant, quatenus materiam ſeroſam ſuppeditant, vel calidum innatum exſtinguunt, qualia ſunt cucumeres, melones, pepones, perſicæ, lactuca, beta, atriplex, quam olim

olim à Pythagora, quod hydropem facere putabatur, damnatam fuisse, scribit *Plinius* : aliaque oleracea, ob quorum esum Heraclitus cum in montibus vitam duceret in hydropem incidit, eoque interiit, ut testis est *Laertius*. Aquæ, vel cerevisiæ glacie vel aquâ refrigeratæ, præcipuè post æstum aut balneum corpore adhuc æstuante potatio: vel alterius gelidi potûs post motum corporis, à quo corpus incaluit avida ingurgitatio, quæ vel maximè noxiva. Si refert *Clarissimus Beckherus Acad. Regiom. Profess. & Regis Pol. atq; Aulæ Elector. Prut. Archiater celeberrimus, Fautor & Amicus meus pl. honorandus, Microcosmolog. Disp. 9. th. 4. q. 2.* Sponsum quendam ductis choreis excalefactum post potum gelidum avidè haustum extemplò male habuisse & tertiâ die obiisse, ejusque hepar denigratum & gangrænâ corruptum fuisse. Et quis ignorat, sæpe messores, aliosque, qui in nimio æstu aquam aut cerevisiam secundariam avidè biberunt, aquâ in abdomine restante, aut calido nativo exstincto in hydropem incidisse? Habetque hujus rei observationes etiam *Sennertus* & *Piso*. Et ipse memini me in Nosocomio Leidensi puellam quandam 9. annor. vidisse, quæ post largiorem gelidæ aquæ haustum in Asciten incidit, & brevi mortua est. Tandem esculenta & potulenta etiam nocent, quatenus calidum nativum & spiritus dissipant, ut calidorum aromatum, vini generosi & aromatici, vel spiritus vini usus nimius. Ad hanc classem etiam referri possunt medicamenta frigida & calida, item fortia purgantia & venena, quæ etiam calidum innatum exstingere, dissipare, vel specificè corrumpere possunt. Quantum autem gulosa & luxoriosa diæta & ingluvies possit, nemini non notum. Et verissimum est illud: *Τὸ ποικίλον τῆς διαίτης ποικίλα νοσήματα τίκτει.* Si enim majori copiâ alimenta assumantur, quàm ut in ventriculo benè concoqui possint, accidit, ut quæ in coctione necessariò fieri debebat fermentatio, *Ζύμωσις* & *πνευμάτωσις*, impediatur, & partes crassæ, tartareæ & fixæ crassam fixamque suam naturam deponere, ac spirituascere, rarefieri ac volatiles reddi, ut debebant, non possint, partesque impuræ, inutiles ac tartareæ ab utilibus & puris probè separari nequeant, sed chylus fœculentus & impu-

rus ad partes secundæ coctioni inservientes pellatur; quod vitium cùm in secunda coctione corrigi non posit, fit, ut sanguis crudus relinquatur, neque à partibus salsis & tartareis, quæ in prima coctione separari debebant, mundetur, unde etiam corpori non benè asimulatur, sed in primis viis subsistit, atque sic fœcundisimum multorum morborum seminium existit. 3. Somnus & Vigilia si modum excesserint, nocent, *Hippocrat.* teste 3. *Aphor. sect.* 2. Hæc, quia spiritus dissolvit, calorem nativum debilitat, corporisque vires labefactat: ille quia humores cumulat, calorem corporis hebetiorem atque spiritus torpidos reddit. Quies etiam diuturnior & exercitationis intermisio mali generationem promovet, dum multa excrementa in corpore retinentur, calorque non excitatur & ventilatur. Contra motus nimius & intempestivus spiritus exhaurit, calorem corporis disipat, humores movet, & sæpè obstructiones parit. Multum verò hîc conferunt suppressæ evacuationes, per quas natura vitiosos & abundantes humores evacuare solet, ut consuetæ hæmorrhoidum & mensium suppressæ purgationes quæ calorem nativum suffocant, & ferè exstinguunt. Nec levem occasionem ad hujus affectus generationem præbet sanguinis per hæmorrhoides, menses, hæmorrhagiam narium, vel alterius materiæ, ut in Diarrhæa, aliove alvi fluxu, nimia & longa evacuatio. Nimia etiam Venus mirum quantum corpus enervat, atque spiritus animales disipat. Tandem aliquid etiam hîc facere possunt perturbationes, aliæque animæ molestiæ, quarum immoderatione etjam calor & spiritus emarcescunt.

VIII.

Differentia Ascitæ desumi potest I. A' subjecto caussæ antecedentis. II. A' caussa continente. III. A' modo generationis. IV. A' tempore. V. Ab adjunctis.

I. A' subjecto caussæ antecedentis: Ascites alius dicitur provenisse ab Epate; alius à Liene; alius à Renibus, Vesica, Utero, &c. II. A' caussa continente: alius est ab aqua pota, vel

2407

ta, vel alia potulenta materia, parum vel nihil immutata; alius ab ichoroso humore, alius à serô propriè dicto; alius ab urina. Hinc etiam hic humor nunc pallidus, nunc citrinus, modò flavus, modò cruentus in hydropicis observatur. Præterea nunc major nunc minor ventris tumor est, à majore vel minore serosi humoris copia. Tandem serosus humor quandoque in vesiculis hydatidibus dictis continetur, quandoque & ferè *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* in ipsissima ventris cavitate subsistit. 3. A modo generationis: Ascites alius dicitur ortus à sanguificatione vitiata; alius à colliquatione humorum in vasis; alius à fissura & vulnere hepatis, lienis, renum, ureterum, vesicæ, &c. Alius etiam subitò; alius sensim factus. Alius per *μετάπτωσιν*; alius per *ἐπιγένεσιν* ortus. *Castren.* teste *tract. cui tit. quæ ex quibus lib.* 1. *cap.* 10. 4. Temporis ratione, alius recens, alius inveteratus dicitur. Recens, qui non pridem incepit. Inveteratus, qui jam diu duravit. 5. Ab adjunctis: Hydrops est cum febre, alius sine febre, cum tussi, alvi fluxu & similibus.

IX.

Signa Ascitæ alia sunt Diagnostica; alia Prognostica. Diagnostica alia affectum ipsum, alia ejus causas ostendunt, alia à reliquis hydropis speciebus ventrisque tumoribus ipsum distinguunt.

Signa diagnostica, quæ ipsum Asciten certò indicant, & digito quasi monstrant, atque vulgò *παθογνωμονικὰ* appellantur, quæque ipsi non solùm propria sed & inseparabilia sunt, sicut id de signis pathognominicis 1. aph. 17. & alibi Galenus requirit, hæc sunt: Venter imus intumescit, superiores partes gracilescunt & contabescunt, æger de latere in latus conversus murmur & fluctuationem quasi aquæ sentit, tumorque latus, in quod decumbit, sequitur. Facies plerumque pallescit. Cutis ventris mollis & laxa est, similisque corio in aqua diu madefacto. Venter percussus sonum veluti uter aquâ semiplenus edit. Tandem malo increscente, & præsertim in eo Hydrope, qui sensim fit, tumor ad fœmora, pedes & scrotum cuniculis quasi factis sensim descendit, maximè post stationem, aut

ambulationem. Pedes impreſsi digiti veſtigium retinent. Diſpnæa accedit inſignis ob aquæ copiam diaphragmatis motum impedientem, præcipuè cùm ęger decumbit, præcipuumque eſt ſymptoma, de quo maximè conqueritur. Quippe vehementer ipſum angit, & quidem ita, ut ſæpe ſuffocationis periculum cum compreſsivo cordis dolore ſentiens Orthopneumaticorum inſtar erectâ cervice ſedens reſpirare cogatur. Sitis etiam valdè Hydropicos excruciat, ut haut immeritò illam clamoſam, id eſt, inextinguibilẽ Avicennas vocarit. Nam quo plus ægri ei ſuccurrere ingenti potu laborant, eò plus ſitiunt, juxta illud Ovidii 1. Triſt. 7.

——Quibus intumeſcit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Sitiunt autem intensè, inſtar Tantali, quoniam ſalſus & nitroſus ille humor (ſic ipſe *Zacutus* Galenicus illum nominat) in imo ventre præ mora retentus tum calidior tum nitroſior redditur, ut affirmat *Aetius*, unde multi ſicci & ſalſi vapores ſurſum attolluntur, qui os ventriculi, æſophagum & os exſiccant. Deinde quoniam vaporum inſenſilis tranſpiratio ob pororum obſtructionem denegatur & pulmonum cordisque debita ventilatio ob diminutam aëris attractionem impeditur, unde denegato refrigeriô calor magis augetur, ac partes magis magisque exſiccefcunr, gliſceſcunt atque excandeſcunt. Qua de cauſa etiam hæc ſitis ingeſto potu non ſedatur, etiamſi totus ventriculus iſtô perfundatur, niſi ipſa cauſſa, id eſt, ſeroſus humor ex ventre tollatur; Quòd optimè etiam ſcivit Horatius. Sic enim ille 2. odar. 7.

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops,
Nec ſitim tollit, niſi cauſſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Febris etiam lenta à vaporibus ab humore ſeroſo putreſcente elevatis quandoque excitatur. Dico quandoque, quoniam non de neceſsitate eſt ut febris ſemper adſit, ſicut nonnulli opinantur. Urina pauca eſt, quia ſeri parum ad vias urinarias

tranſit,

transit, interdum tincta, rubra, vel aurea & crassa, aliâs cruda & aquea, interdum non adeò mutata. Pulsus ex Galeni sententia est parvus, creber, inæqualis cum tensione, &c. Signa caussarum Ascitæ, quæ & certioris prognostici & melioris & tutioris curationis ergò diligenter consideranda, commodissimè & rectissimè à caussis prægressis desumuntur. Ut si quis aquam frigidam, aliumve potum avidiùs hauserit, in primis viis eum subsistere, & Ascitæ caussam existere, credibile. Ita medicamenta & alimenta calida copiosè assumpta, vini generosi & potentis potus intemperantior, calidi innati dissipati indicio esse possunt: Venena caloris extinctionem produnt: Hæmorrhoides consuetæ suppressæ, menses retenti, aliáve solita evacuatio suppressa, calidi nativi suffocationem indicat. Si febris quartana prægressa est, obstructiones circa lienem suspicandæ. Si à scirrho hepatis, vel lienis, ejus signa latere non possunt. Si à colliquatione sanguinis, antecessit victus calidus ex aromatis, vinis generosis, &c. præcessitq; vel etiamnum adest calor urens, vel febris. Si Ascites sit à vase alicujus visceris rupto, excretio sanguinis præcessit. Si à rene exulcerato, vel uretere rupto, dolor ea in parte perceptus fuit, & in urina aliquid puris interdum apparet, aliaque exulcerati renis indicia adsunt. Si urinæ retentio in caussa sit, vesicæ ruptæ signa aderunt. Hâc ratione ex caussis, quæ præcesserunt, & signis, quæ adsunt prudens & doctus Medicus facilè cognoscet si ab alia adhuc caussa, aut alia imi ventris parte affecta serum in ejus capacitatem fundente Ascites productus fuerit.

Cæterùm Asciten à Tympanite & Anasarca discernere nec id difficile. Quippe in Tympanite flatus in ventre abundant, unde etiam is percussus sonum Tympani instar reddit, & moles ventris minus gravis, quàm in Ascite sentitur, præcesseruntque rugitus & tormina diuturna circa umbelicum. Extrema insuper non adeò tument, & ægro supino jacenti venter distentus & durus permanet. In Anasarca verò venter non ita tumidus fit ut in Ascite, & totum corpus à pituitoso humore per carnem & sub cute effuso æqualiter quasi intumescit. A' reliquis autem infimi ventris tumoribus præternaturalibus, qui fiunt à mola, falsa ingravidatione, scirrhosis mesenterii vel

omenti tumoribus, ab alvi fæcibus, à ſanguine aut ſimili humore, & Aſciten mentiuntur, ex tumoris inæquali duritie & diuturnitate, aliisque horum tumorum ſignis & cauſsis prægreſsis atque ex συνδρομῆ ſignorum Aſcitæ pathognomonicorum genuinum Aſciten ſagax Medicus facilè diſtinguet.

X.

Prognoſtica ſigna, quæ eventum Aſcitæ teſtantur, petuntur. 1. Ab ipſius affectûs & ægri natura. 2. A cauſſis. 3. Symptomatibus ei ſupervenientibus.

Quandoquidem Medici prudentis ſit, & cui propria fama cordi eſt in periculoſorum morborum curatione, prognoſtico ſe munire, ne, ut *Celſus* ait *lib.5. cap.26.* ſpeciem ejus ſubeat, ut occiſi, quem ſors ipſa peremit. Et ex conſilio *Galeni 2.aphor.29.* illud ſemper memoriâ tenendum: deploratorum non eſſe ſuſcipiendam curationem, ſed cedere abſiſtereque, cum eâ prædictione oportere, quiſnam tandem morbi ſit futurus exitus. Agedum videamus quid de hujus affectus exitu & curatione prædicendum atque ſperandum ſit. 1. Hydrops Aſcites Tympanite & Anaſarcâ periculoſior eſt ceteris tamen paribus: & eò periculoſior & curatu difficilior, quò magis inveteratus. 2. Facilius curatur Aſcites in juvenibus & robuſtis, quàm in ſenibus & iis, quibus vires languent. Faciliùs etiam ſanantur ii, qui ſitim, inediam aliaque tædia perferre poſſunt, quam qui minimè ſibi temperare queunt. Hac de cauſſa juxta *Celſum lib.3. cap.22.* faciliùs ſervi & pauperes, quàm liberi, divites & primates curantur. 3. Aſcites ſi ab epatis, lienis, renum, ureterum, veſicæ aut venarum lactearum & meſenterii exeſione, vel exulceratione, ruptura & corruptione oriatur, plerumque lethalis atque incurabilis erit. *Platerus l.c.* Valdè etiam difficulter curatur Aſcites, qui eſt à colliquatione, hydatidibus & calidi innati defectu, vel viſceribus ſcirrho inveterato obſeſsis. Qui verò à ſeroſi humoris copia per διαπήδησιν aut ἀναστόμωσιν in cavitatem ventris exſtillante oritur, aliquam adhuc curationis ſpem præbet, dummodo æger adhuc εὔσπλαγχνος

ſit, ac

sit, ac integris viribus. 5. Malus etiam est ex acutis morbis abortus: neque enim à febre liberat & valde dolorosus est ac lethalis. *Hipp.2.prog.cap.1.* 6. Abscessus vel maculæ in cruribus erumpentes lethales. *Sennert. l. 3. Prax.p.6.s.2.cap.3.* 7. Aqua inter cutem detento, si aqua è venis in ventrem, hoc est, in intestina influxerit, morbus solvitur. *Hipp.aph.14.s.6.* 8. Si Hydropi tussis superveniat malum, *Hipp. aph.35. s.6.* si nimirum is ob aquam diaphragma comprimentem & thoracem penetrantem oriatur. 9. Quantò lotii minus redditur, tantò deterior est hydrops, quia serum in ventrem confluit, & ferè nihil ejus ad renes penetrat *Sennertus l.c.* Hinc *Hipp. in Coac.aph.456.* Hydropico febriculoso urina pauca turbataq; lethalc. Et tum demum secundæ valetudinis spes est, inquit *Celsus*, cum plus humoris per urinam excernitur, quàm absumitur. 10. si Hydropicis supra gravitatem ungues & digiti lividi fiunt, mors è vestigio expectanda est. *Hipp.prog.c.1.* 11. Hydropici semper gravissimè circa plenilunia torquentur, eò quod in corpore serosa colluvies, cui luna non minus quam mari præest, cũ luna plena jam in plenum statum advecta sit, idcoque omnes ferè hydropici ex sententia *Tichon. Brahe in orat. de discipl. Mathemat. p.22. & Paracelsi Tom.3. l.2. de tar. in annot. cap.6.* circa plenilunia moriuntur. Et certè pro vario siderum positu nunc hos, nunc illos humores in corpore humano moveri, & varios morbos inde excitari, non improbabiliter etiam docet *Sennert. l.1. Prax. p.2.cap.14.* Maximè autem serosum humorem in humano corpore moveri idem *Sennertus l.1. Prax. p. 1. cap.10.* fatetur. Nec malè. Quippe lunam non minus præesse humiditatibus microcosmicis, quàm macrocosmicis, atque ad Lunæ cursum, serum seu mare microcosmicum, ut mare macrocosmicum turgere, fluere, atque cum lunæ incremento augeri, & contra cum ejus decremento imminui, vel observatio illa *D. Tulpii* Amstelodam. de Ischuria lunatica, quæ est *cap.43. l.2. obs. med.* docere potest. Refert enim ibidem Theologo cuidam Britannico urinam quolibet fermè plenilunio suppressam fuisse cum insigni angustia, & evidenti totius corporis incendio, neque eam iterum excrevisse, nisi vel luna declinante, vel venâ brachii secta. Propterea etiam hanc urinæ suppressionem Ischuriam

lunaticam appellat. Atque ex hoc fundamento statuo hanc esse caussam, quod perturbationes & commotiones serosi humoris in microcosmo evenientes instantium lunę φάσεων & mutationum atque tempestatum mox futurarum sæpè prænunciæ sint. 12. Tandem Hydropici pereunt ut plurimum suffocatione, vel febri.

X I.

Indicatio triplex datur, Curatoria, quæ desumitur ab ipso morbo, causaque continente. Præservatoria, quæ desumitur à caussa antecedente, & Vitalis, quæ desumitur à robore ipsarum virium.

Vidimus hactenus Ascitæ ideam, subjectum & caussas, tam proximas, quam remotas, atque etiam quibus signis sit dignoscendus, quidque de ejus eventu sit sperandum succinctè diximus. Ordinis ratio jam postulat, ut, quibus remediis ipsi obviandum sit, sedulò quoque investigemus. Cùm autem sævus hic & contumax sit affectus, & sæpè indomabili sua contumacia naturæ vires artisq; omnem industriam eludat, ut omnium Medicorum ingenia subsannare, vulgari in proverbio perhibeatur, itaque ne in ejus curatione deerremus, age, artificiosas indicationes Medicas sequamur, quæ tanquam rosa nautica nobis in medicamentorum pelago versantibus, ut expeditè ad felicem curationem pervenire posśimus, opem ferent. Ascites itaq; ut tumor consideratus sui diminutionem indicat. Verùm sic nullam utilem præbet indicationem, quoniam nulla remedii materia datur, quâ immediatè aucta magnitudo commodè tolli posśit, sed materia medica, quæ ei succurrere potest, caussam magnitudinis auctæ continentem respicit, sicut optimè docet *J. C. Claudinus de ingreß. ad infirmos lib.1. cap.16.* & *Sennert. l.5. Prax. p.1. cap.2.* Ideoque cum ad caussæ continentis extirpationem subsideat, & dispalescat tumor, potius ab illa primaria indicatio haurienda. In caussæ verò extirpatione spectandum an Ascites id est tumor ventris aquosus jam factus sit, & non amplius augeatur, an verò adhuc fiens, hoc est, an adhuc incrementum sumat. Si jam factus est, ad caussam proximam

& con-

& continentem respicere, eamque removere oportet. Nimirum humor serosus, qui jam ventrem actu distendit, atque tumorem facit, omnibus quibus fieri potest modis evacuandus, discutiendus & exsiccandus. Si verò adhuc in fieri, caussæ antecedentis cura habenda, i.e. omnis morbosus apparatus tollendus, & caussa quæcunque ad serosi humoris generationem vel collectionem facit, debitô modô amovenda. Frustra enim de aquæ evacuatione suscipitur cura, ubi scaturigines, è quibus mox nova prosilire potest, remanent. Tandem cùm Medicina parum valeat, vires ubi succubuerint, virium sedula habenda ratio, ut integræ conserventur, & fractæ idoneâ victus ratione & analepticis restaurentur, atque roborentur.

XII.

Indicationes hasce ipsa Curatio perficiet subsidio trium instrumentorum. Pharmaciæ scil. Chirurgiæ & Diætæ. Pharmaciam primò salutabimus, quæ varia simplicia ac composita medicamenta nobis suppeditabit.

Eleganter certè *Galenus* 11.*mm.cap.*10. docet in curatione id observandum esse, ut caussæ, eô, quô se consequuntur ordine tollantur, ita, ut ab eo incipiatur, quod τῇ γενέσει primum, τῇ ἀναλύσει ultimum fuit, ab eo ad proximum accedatur, atq; ita ordine pergatur, &c. Adeoque secundum hoc Galeni effatum in omni Ascite curatio à causarum, ob quas serosus humor generatur & colligitur, ablatione inchoanda videtur, & dein ad caussæ continentis remotionem, seu serosi humoris in abdomine collecti evacuationem progrediendum. Verùm cum sæpè antequam Medici auxilium imploratur, Ascites sit confirmatus, & tumor totus factus, atque tum medicamenta pro causis antecedentibus tollendis frustra adhibeantur, si aqua in abdomine remanens hepar & viscera indies magis magisq; debilitet & corrumpat. Ideò tum necessariò ut th. XI. dictum, ad caussam continentem respiciendum, & ut serosus humor in ventre collectus evacuetur, procurandum.

Evacuari autem serosus humor potest, vel sensibiliter catharticis, hydragogis, diaphoreticis, diureticis, & imprimis abdominis perforatione παρακέντησις de qua th. seq. de Chirurgia: Vel insensibiliter insensili transpiratione, seu ἀδήλῳ διαπνοῇ. Cæterùm quamvis verissimum sit & authoritate Galeni confirmatum serosos humores sine aliqua præparatione mox ab initio purgari posse attamen ut viæ, per quas expurgari debet, quadantenus præparentur; quædam incidentia & abstergentia quandoque præmittere, non inutile. Qualia hîc esse possunt. *Rad. Gramin. Petrosel. Asparag. Absinth. Eupator. Cuscut. Capill. Vener. Praß. Syr. de quinq; rad. byzanth. de Cich. crem. tartar. Acidum tart. chalyb. tart. Vitriolat. tart. Nitrat. Magister. chalyb. s. Vitriol. hermaphrodit, &c.* quæ in idonea forma exhiberi possunt. Vel talis clyster præmitti potest: ℞. rad. Alth. ℥ j. Ireos ℥ ß. Herb. Malv. Mercurial. Absinth. Agrimon. ana M j. Flor. Sambuc. M ß. semin. Anis. Fœnic. ana ʒ j ß. Coq. in s.q. aq.s. ℞. Colæ ℥ xij. Adde Elect. Diacathol. Hier. s. ana ʒ vj. ol. Aneth. ℥ ij. Salis ʒ j. F. Clyster. Hydragoga, quæ serosum humorem expurgant, vel simplicia, vel composita sunt. Simplicia sunt *Manna, Mechoacan. Gialapp. Gummi Gutte, seu gamba* (rectius Cambodia, à Regione Cambodia, quæ Chinæ vicina, in qua planta illa, quæ hanc guttam fert, maximâ copiâ crescit, teste *Jac. Bontio l. de Medicina Jndor. p.* 150.) *Scammon. Gratiol. Sambuc. Ebul. Flor. Persic. Irid. Succus, Elater. s. Succus Cucum. Asin. Esula, Soldanell. &c.* Rhabarbarum an in Ascite conveniat, à Medicis controvertitur, *Septalius* atque *Massaria* Rhabarb. usum hîc improbant. *Erastus* verò & *Placentinus* eum commendant, quibus & ego assentior. Quippe licet Rhabarb. tantam serosos humores expurgandi vim non obtineat, ac reliqua hydragoga modò recensita; attamen cùm obstructiones aperiendi, atq; viscera, & imprimis hepar corroborandi vim habeat, unde etiam anima & theriaca hepatis à *Sennert. Instit. l. 5. p. 1. l. 1. cap. 9.* appellatur, non inutiliter etiam in Ascite exhiberi & reliquis admisceri potest. Refert etiam *Camerarius memorabil. med. cent. 8. part. 60.* Hydropicum quendam qui ab omnibus jam pro desperato habebatur usu Rhabarb. frequenti cum omnium admiratio-

miratione integre ſanatum fuiſſe, atq; eô tantum corporis robur ſibi conciliaſſe ut ſanus & incolumis citra ullam infirmitatem uſq; ad ultimum ſenium pervenerit.

Compoſita ſunt: *Hydragog. majus & minus Fernel. Hydragog. Renod. Pulvis hydragog. Heur. Pulvis hydragog. Quercet. Pulvis contra hydrop. Eraſt. Pulvis ex Soldanell. Diſpen. Norinberg. Pulvis Magiſtral. Stockſtall. ſpec. diacarth. diaturbith cum Rhabarb. ſpec. hieræpicræ. Pilulæ hydragog. Bontii, Pil. hydrarg. Heur. Quercetan. Dorncreill. Pil. de Mechoacan. Renod. de Mezer. Meſ. de Elaterio & Eſula Fernel, &c.* Ex Chymicis celebratur *extractum Gummi Cambodiæ & Reſin. Scammon roſat. Magiſter Gialapp. Extract. gratiol. Extract. hydragog. Ruland. Mercurius vitæ, Mercurius dulcis, Roſa mineralis Salæ, Luna purgans Tenzel. Catharticum Antimoniale, oleum Antimon. Sennert. Crocus metallor.* Circa hæc medicamenta non immeritò quæritur an vomitoria & medicamenta ex Antimonio & Mercurio præparata, cùm pleraque vomitum, vel ſimul vomitum & alvum moveant, in hoc affectu ex uſu eſſe poſsint? Quoad primum. Meminit *Celſus* Methrodori, qui cum æquo animo ferre non poſſet neceſſariam ſitim, bibit, mox revomuit, & ſic convaluit. Et Foreſtus recitat hiſtoriam cujuſdam hydropici, qui mari iter facies & moleſtis vomitibus vexatus ab hydrope liberatus eſt. Atque vomitum etiam concedunt *Iben Sina, Nicolus, Platerus, Saxonia, Capivaccius, Joel,* eô potiſsimum nomine, ut hâc ratione quædam revulſio ſeroſi humoris à venis meſaraicis ad ventriculum & inteſtina fiat. Ex quibus jam concludo etiam vomitoria in Aſcite quandoque tutò & utiliter exhiberi poſſe, præſertim robuſtis & quibus ventriculus viſcidis & ſeroſis humoribus ſcatet, modò ad vomendum ſint faciles & nulla inſignis diſpnœa adſit. Verùm medicamenta Antimoniala & Mercurialia quod concernit, nec illa reformidanda ſunt. Præterquam enim quod ex Sennerti & aliorum clariſsimorum Medicorum conſilio cathartica, quæ ſimul per inferiora & ſuperiora evacuant etiam in Aſcite cum ἀφοβίᾳ propinari poſsint, etiam multò minus noxia ſunt, atq; tutius exhiberi poſſunt, (modò ritè præparata fuerint) quam Euphorbium, Mezerii folia, Soldanella, Elaterium, ſquama æris, æs uſtum, quibus *Galenus, Hippocrates, Avicennas,* & poſt illos ex

recentioribut multi usi sunt. Præterea antimonialia & mercurialia, quæ alias alvum & vomitum cient, in hydropicis minus vomitum movent, sed ferè tantum per alvum purgant, fatente etiam *Sennerto & Tenzelio*, partim quia ventriculus aquosis humoribus imbutus ab ejusmodi medicamentis non ita vellicari potest, partim etiam, quia volatilitas eorum aquæ salsedine figitur, quemadmodum alias si talia cum sale aliquandiu terantur, vel oleo tartari per deliquium, aut aqua salsa digerantur, & postea edulcorantur, vim emeticam amittere solent. Nihilominus tamen cum grano salis ejusmodi medicamenta exhibenda.

Ex his enumeratis medicamentis variæ formulæ pro ægri palato, aliisque circumstantiis parari possunt. Ut: ℞. Rob. Sambuc. ʒ ij. Pulv. Mechoacan. ℈j. Gum. gotte. gr. vj. Cum saccaro F. Bolus. Vel ℞. Mechoacan. opt. ℈ ij. Rhabar. ℈j. Extr. gumm. gotte rosat. gr. v. Cinamom. ℈ ß. F. Pulvis. Vel ℞. M. P. Tartar. Q. ʒ ß. Magist. Gialapp gr. viij. Extr. helen. gr. v. Magist. chalyb. gr. ij. ol. caryophyll. gr. j. Cum syr. de Eupatorio F. Pilulæ mediocres. Aut si potiones magis arrident, tales fieri possunt. ℞. Succi Irid. recent. express. & per resident. depurat. ℥ i ß. Mann. ʒ v j. Syr. de Eupator. ℥ ß. Aq. Sambuc. ℥ i i j. M. F. Haustus. Vel ℞. Rad. Gramin. Cichor. Fœnic ana. ℥ ß. Cortic. Sambuc. Ebuli ana. ℥ j. Agrimon. capill. Veneris ana M. j. Flor. hepatic. genist. ana. p. j. Coq. in aq. f. In Colatura Infunde Fol. Senæ elect. ℥ j. Mechoacan. ℥ ß. semin. fœnic. anis. ana. ʒ j. Manè rursus ebulliant & colentur. In colaturæ ℥ i x. Dissolve Mannæ ℥ j. Iterum coletur & F. Potus pro trib. dosibus. Parenti meo b.m. maximè familiare fuit, & semper magno cum successu exhibuit tam in Ascite, quam Anasarca seq. decoctum. ℞. Herb. Gratiol. M j. Cortic. Sambuc. M ß. Rad. glycirrh. ℥ j. semin. anis. ʒ j. Coq. in aq. f. sero, aut vino passulato ad mediæ partis consumptionem. Colaturæ ℥ i i i j. vel ℥ v. mane exhibeantur. Gratiolam etiam valdè commendant *Wierus & Joel*, variaque euporista hydragoga ex ea præparant. Potenter etiam serosos humores evacuare scribit Joel, succum rad. palmæ Christi, & succum cortic. rad. sambuci si ʒ i j. pondere cū saccharo exhibeatur. *M. Joh. Denius*

Profess.

Profefs. Acad. Roftochienf. in Praxi Medica, quam fcriptam affervo, mirificè in Afcite valere, fcribit, fuccum cochleariæ ℥ j. pondere fumptum. Poffunt etiam pro delicatis vina medicata purgantia parari. Ut: ℞. Rad. Mechoacan. Rad. Ireos. an. ℥ j. cortic. rad. capp. Tamarifc. ana. ℥ ß. cortic. fambuc. M j. herb. abfinth. agrimon. fcolopend. ana. M ß. fem. anif. fœn. ana. ʒ j. Incidenda incidantur, contundenda contũdantur, & F. Nodulus, qui fufpendatur in f. q. Vini. Bibat de hoc æger manè hauftum bonũ. Incredibilem aquæ copiam folius vini chalybeati & rad. afari ufu, in iis, in quibus ex diuturna fplenis obftructione Hydrops ortus erat, fe aliquãdo evacuaffe, fcribit *Eraftus Difp.* 4. *contra Paracelf.* Præter interna catarthica, etiam externa, quæ ventrẽ laxare, & ferofos humores educere poffunt, parari poffunt, quę vel per anum infunduntur, vel ventri applicantur. Nimirum Clyfteres & Emplaftra vel Cataplafmata.

Clyfter in hunc vel fimilem modum paratur. ℞. Rad. Ireos ℥ j. cortic. fambuc. ebul. ana. ℥ ß. mercurial. fummit. centaur. minor. ana. M j. foldanell. flor. chamæm. ana. M ß. fem. dauc. anif. ana. ʒ i ß. coq. in f. q. aq. f. colaturæ ℞. ℔ j. elect. hydragog. Fernel. ℥ j. de bacc. laur. ℥ ß. ol. chamæm. ℥ i ß. F. Clyfter. Clarifs. *Platerus, l.* 3. *Prax. p.* 312. talem parat. ℞. Urinæ fani homin. vel lixivii mediocris efficaciæ f. q. diffolve fermenti acris ℥ j. ol. rutac. ℥ i ß. M. Efficacior adhuc redditur fi ℥ ß. fucci iridis addatur. *Valeriola l.* 1. *obf.* 2. in urina pueri modicum fermenti coquere jubet cum anifi, anethi & marathri feminibus adjecta mellis defpumati ℥ j. Atque hunc clyfterem valdè etiam commendat. *l.* 2. *obf.* 5. Notandum autem de clyfteribus, quod in minori paulo, quam alias quantitate, hîc adhiberi debeant, ob ventris ab aquofo humore impletionem.

Quæ ventri externè imponuntur, fiunt *ex rad. & cortic. ebuli contus. ex fucco iridis, ol. ebuli, unguento Agripp. de Arthanith. Ungv. umbilicali Varand. & Andernac.* & præcipuè ufurpantur, cùm vel propter ætatem, vel propter vires, vel ægri morofitatem non poffunt alia medicamenta cathartica exhiberi.

Experientiâ etiam comitante ratione animadverfum effe fcribit *Celeberrimus D. Beckherus in Microcofm. Med. l.* 1. *c.* 2. refegmina unguium è manibus & pedibus fumpta fupra umbili-

cum

cum ligata validiſsimè ſeroſum humorem per alvum expurgare: Et proinde ultra horam minimè ſunt relinquenda, ne vehemens ſubſequatur fluxus. Bufonem etiam diſciſſum & renibus impoſitum aquam hydropicorum per vias urinarias expellere, *Solenander, Capivaccius & Cardanus* docent.

Hæc omnia ſenſibiliter & validiſsimè ſeroſos humores per alvum educere poſſunt. Sed præter hæc ſunt adhuc alia, quæ etiam per ſudores & urinas ſenſibiliter ſerum evacuant, diaphoretica & diuretica dicta. Verum notandum de his, quod potiſsimum hoc præſtent, cum humor ſeroſus ad ventrem fluxurus adhuc in vaſis eſt, vel in ambitu corporis hæret, quam cùm jam in cavitate abdominis continetur. Sunt autem Diaphoretica interna hîc convenientia *Scabioſ. Card. bened. Vincetoxic. Flores ſambuc. Ebul. Lign. Guajac. ſaſſafr. rad. chinæ, Contrajervæ, C.C. lapis bezoar, Antim. Diaphoretic. Bezoartic. mineral. Bezoartic. Vitriolat. Magiſt. Antimon. chalybeat. ſal ebuli, vincetoxic. abſinth. Carduib. ſpiritus ſambuc. Ebul. Guajac. mixtura ſimplex, Theriaca, Mithridat. Rob. ſambuc. Extract. Reſin. lign. Guajaci. &c.* Ex his decocta, Potiones, Boli, Pulveres, & ſimiles formæ pro re nata parari poſſunt. v.g. ℞. Aq. Carduib. Vincetox. ana. ℥j. Sambuc. ℥iß. Rob. ſambuc. ʒj. C.C. philoſ. præpar. rad. Contrajerv. ana ℈j. Aq. cinamom. ʒß. M.F. Potio ſudorifera. Vel ex Antimon. Diaphoretic. ℈j. cum Theriac. vel rob. ſambuc. ℈ij. F. Bolus. Elegans Deſtillatum deſcribit *Sennert. l.3. Prax. l.c.* & decoctum ſudoriferum ſpecificum habet *Quercetanus Pharmac. reſtit. c.8.* Poſſunt etiam ſudores cieri in Vaporatorio ſeu Laconico, in quo decocto aliquo ex rad. & fol. ſambuc. ebul. rutæ, abſinth. fl. chamæm. ſambuc. bacc, laur. & ſimilibus, ſilicibus vel ferri ſcoriis inſperſô vapores excitari poſſunt. Ante ingreſſum etiam Laconici ad promovendum ſudorem poterit aliquod ſudoriferum propinari.

Diuretica parari queunt ex *Chærefol. aſparag. petroſel. fœnicul. puleg. rad. Vincetox. pimpinel. Valerian. ligno ſaſſafr. ſemine hyperic. Alkekeng. baccis juniper. Sale abſinth. juniper. gratiol. ſpiritu Salis, Vitriol. ſpirit. terebinthin. oleo ſuccini, lapide prunellæ.* v.g. ℞. Aq. Chærefol. Petroſel. ana. ℥j. Halicacab. ℥jß. Lapid. prunell. ℈j. vel ſp. Salis gr.x. ſyrup. de quinque radic. ℥jß. M.F. Potio.

Utile

Utile etiam decoctum diureticum, quod simul sudorem movet à *Joele l. 5. Prax. p. 44.* describitur, & paratur h. m. ℞. Cortic. med. sambuc. virid. Rad. Asari, dauci cretic. ana. ʒij. Ebul. helen. ana. ℥ ß. baccar. juniper. Laur. semin. sesel. ana. ʒ j. Herb. scord. puleg. Carduib. flor. centaur. minor. ana. M ß. passular. min. ℥ j. Cinamom. ʒ j. Contund. contund. & incidend. incidantur & coq. in duplici vase per hor. 2. cum vini ℔. iij. cui mellis puri & defœcati cochlearia 2. sint admixta. Colentur & colaturæ ℥ iiij. vel ℥ v. ebibat æger. Insigniter etjam per urinam evacuat Linariæ decoctum. *Smetius l. 4. Miscell.* commendat vermes terrestres pulverisatos & ʒ j. pondere exhibitos. Et horum decoctum cum rad. asparag. fœnicul. aut petroselin. aquas hydropicorum supra fidem pellere scribit. *Platerus l. 3. p. 39.* Cicadarum decoctum laudat. Dioscorid urinam capræ cum spica bibitum commendat. *Hippocrates, Capivaccius, Paschalius*; & alii etiam Cantharides in hunc finem exhibent. Varia etiam lixivia ad urinam ciendam *ex cineribus genist. gratiol. heder. terrest. dulcamar. juniper. stramin. fabar.* & similium parata à Practicis commendantur. Et talia etiam à *Sennerto & Platero l. c.* atque *Heurnio l. 2. Prax. Med. c. 6.* describuntur. Sal quoque bufonum, sive pulverem bufonum in clybano exsiccatorum mirificè urinam pellere, experientiâ fidem fecit mulier illa Venefica, quæ Marito suo Hydropico mortem intentans frustrato eventu eundem liberavit. Hæc enim cùm sumptuum tandem pertæsa esset veneno illum tollere decreverat: quare bufonis usti pulverem ægro marito propinat, unde ille copiosum reddit lotium, hinc denuò eundem pulverem exhibet, ut citius illi ærumnosam sumptuosamque vitam cum præcipite morte commutaret; sed multo uberiore exonerata per vesicam saburrâ aquosa, præter omnem spem restitutus est, quem certò moriturum sperabat Venefica. Unde Ausonius eleganter sic canit:

Quam pia fata Deum! prodest crudelior uxor
Et cùm fata volunt, bina venena juvant!

Atque hæc sunt, quæ ex Pharmacia deprompta sensibiliter

aquoſum humorem per alvum, urinam atque ſudorem potentiſsime expellunt.

Cæterùm quæ inſenſibiliter eum evacuant, diſcutiunt & exſiccant, ſimiliter vel interna, vel externa ſunt. Interna ſunt pleraque diaphoretica in minori doſi exhibita. Ex quibus ſunt *decoctum rad. Chinæ, ſarſ. lign. Guajac. Sal abſinth. Agrimon. Card. ben. ſales theriacal.* & quæ *Hartman. Prax. Chym. pag.* 148. & *in comm. in Croll. p.* 43. commendat, quæque proprietate quadam occultâ hoc præſtare ait: Aqua nimirum lumbricor. terreſt. deſtillata, & ſtercus anſerinũ, quod ſi ʒ j. cum cochleari urinæ capræ, vel vituli repetitis vicibus exhibeatur, mirificè hydropicorum aquam exſiccat. Manifeſtum enim eſt, inquit, utrumq; & ſtercus anſerinum & urinam capræ aut vituli, ubicunq; in terram cadunt eam funditus exareſcentẽ reddere: Similiter itaq; abſumit, & diſcutit ſuperfluam humiditatem in hydropicorũ corpore. Idem confirmat *Petræus*, qui *Noſolog. part.* 2. *p.* 235. teſtatur ſe aliquoties in pauperibus opilionibus obſervaſſe, lotium ovis aliquot dies potum extremè tumidos reſtituiſſe.

Externa ſunt Linimenta, Unguenta, Emplaſtra, Cataplasmata, Fomenta humida & ſicca ex hydragogis diſcutientibus & valde exſiccantibus parata, quæ forinſecus abdomini applicantur. *Ut Unguentum de Arthanit. Agripp. Martiat. Emplaſtrum Italis Medicis uſitatum*, quod in Pharmacop. Auguſtan. & Diſpenſator. Cordi itemque à Platero & Sennert. *in Prax. l. c.* deſcriptum exſtat. *Oleum juniper. ſambuc. aneth. Sacculi ex arena calida, vel cineribus & Sale toſto impleti, vel ex furfuribus, flor. chamæm. bacc. & fol. lauri, ſemin. cumin. ſale & ſulphure parati: Cataplaſmata quæ ex ſtercore caprin. Vaccin. columb. & gallinac. cum vino vel urina addendo interdum ſulphur & nitrum parantur.* e. g. ℞. Stercor. Caprin. Columbin. ana. ℥ i j. Rad. Ebul. bryon. ana. ℥ ß. Flor. chamæm. p. iij. ſulphur. vivi ʒ i i j. cum urina infantis & melle ſ. q. F. pro ventris regione Cataplaſma. *Valeriola* componit Emplaſt. ex ſtercore bubul. & caprin. in aceto & lixivio præbullito, adjecto ſulphur. alumine, ſale, bacc. laur. & ſucco ebuli omnibus ſubactis cum pice navali. Hujus Emplaſtri mirabiles vires exſiccandi hydropicorum aquas deprædicat 2. *obſerv.* 5. & *l.* 4. *obſerv.* 3. Cochleæ etiam in lixivio coctæ & tritæ

tritæ cum ſtercore caprino vel vaccino in formam Cataplasmatis utiliter ventri admoventur. *Dioſcorides l. 2. c. 11.* illas crudas cum ſuis calicibus contuſas imponere jubet. Poterit etiam unguentum fieri in hunc vel ſimilem modum: ℞. Unguent. Agripp. ℥ i ß. Arthanit. Martiat. ana. ʒ v j. ol. Scorpion. Nardin. ana. ℥ ß. ſucci rutæ. ʒ i i j. Aq. vitæ ℥ ß. F. L. A. Unguentum. Fotus etiam fieri poſſunt ex aqua naturali ſalſa, ſulphurea, nitroſa, utpote maris, fontium, thermarum; vel artificiali ex permixtione ſalis, nitri, vel ſulphuris parata. Vel lixivio forti ex cineribus vitis, vel quercus incoqui poſſunt Sal, Sulphur, vel Nitrum & plantæ quædam exſiccantes. v. g. Rad. & fol. ebul. urtic. Aſclepiad. fol. rutæ, origan. calaminth. flor. chamæm. ſambuci, eoque decocto venter foveri. *Nicolus Florentin. ſerm. 5. tr. 5. c. 25.* etiam ranas vivas adjicit, easque proprietate quadam aquas Aſciticorum extrahere, ſcribit. Atque hujus generis plura paſsim apud Practicos occurrunt. Lapidem quoque ſerpentis ventri tumenti alligatum citò & inſenſibiliter aquam hydropicorum abſumere, *Hollerius* & *Joel* ſcribunt. Verùm nondum conſtat qualis iſte lapis ſit, & adhuc dubitatur an in capite ſerpentis ſive Hydri lapis reperiatur, & an illũ ſerpens ſupra aquam ſuſpenſus, ut ajunt, evomat. Admirabile autem eſt quod *Crato* vidit, ut teſtatur *in Conſil. à Scholtz. collect. conſil.* 295. Hyoſcyami folia pedum ſoleis appoſita ex toto corpore aqueum humorem eduxiſſe.

Hæc commemorata remedia non inutiliter quoque adhibentur, ubi ſcrotum & pedes à ſeroſo humore intumuêre. Sæpè autem profuit in Scroto tumefacto ſeq. cataplaſma, quod *D. Fabricius* Celeberrimus Regis Daniæ Perſonæ Medicus in praxi ſua M. S. commendat, & hoc modo paratur: ℞. Flor. melilot. M j. Chamæm. ſummitat. Origan. ana. M ß. Rad. ireos. ℥ ß. ſemin. Cumin. ʒ i j. Coq. in vino ad mollitiem, ſub finem coctionis adde ol. chamæm. abſinth. aneth. ana. ʒ j. croci ℈ j. Sic benè agitata in Cataplaſma redige. *Galenus* Pedum tumorem tollit frictione cum ſale & oleo; item Sale oxyrrhodino imbuto. *D. Fabricius l. c.* ſcribit *Guil. Laurenberg.* feliciter hic uſurpaſſe linteamina aquâ vitæ imbuta, & rurſus exſiccata, atque viciſsim decocto ex rad. ebuli & ſulphuris vivi imbuta,

quæ calidè applicabat, & ne deciderent fasciis convenienter stringebat. *Forestus* etiam ad pedum tumorem efficacissimum Cataplasma, quod pro arcano retinendum, *l.* 19. *observ.* 39. *describit.*

Antiqui Hydropicos etiam insolabant, id est, singulis diebus per plures horas obvelatô capite soli ardenti eos exponebant. Alii in frumenti acervo, vel furfurum tumulo calido, aut arena marina, vel sale, aut cineribus conspersa, & à radiis solaribus vel igne calefacta eos quasi sepeliebant, capite exsertô, & sic aquosum humorem dissipabant. Verùm periculosa, & vix imitanda est hæc curandi ratio. Quippe ob dispnœam & sitim, quæ Hydropicos aliàs valde excruciat, vix ea ab iis tolerari potest. Proinde benè etiam monet *Mercurialis* loco sæpius citato, non omnia antiqua remedia in usum trahenda: quoniam Medici Antiqui, qui consilium hoc dederunt, ut plurimum curabant servos, qui omne tormenti genus necessariò sustinebant. Domini enim, inquit, qui volebant servos sanos, omnia tentabant, ut nos in jumentis. Cæterùm Rustici Veneti, ut scribit *Massar. l. c.* ingrediuntur fornacem calefactum, & in eo ad animi usque deliquium sudant, quandoque etiam suffocantur. Ita liberantur ab Hydrope!

Verum non sufficit aquam hydropicorum evacuasse, sed & opera sedulô danda, ne denuò regeneretur. Adeoque omnes caussæ, quæcunque ad ejus generationem aut collectionem faciunt, removendæ & averruncandæ. Quod quomodo præstandum, pluribus quidem declarare, & de singulis in specie dicere possem, sed ne labor hîc nimium excrescat, & disputationis limites excedat, paucis dicam: Obstructiones vasorum incidentibus, attenuantibus aperiendæ. Soluta unitas, sive partes vulneratæ & erosæ convenientibus remediis uniendæ atque agglutinandæ. Frigida viscerum temperies calefacientibus, & contra calida & urens refrigerantibus appropriatis alteranda: Neutiquam verò hîc illi audiendi, qui ferè ad ravim usque clamitant, omnem Asciten esse affectum frigidum, & à frigidâ hepatis intemperie oriri, adeòque semper calidis illum esse curandum. Sed potiùs hac in re *Trallianus* attendendus, qui *l.* 9. *c.* 3. *p. m.* 523. Sic ait: Omnia & quæ præcesserunt, &

quæ

quæ nunc adſunt, obſervanda puto, ac ubi præſentem intemperiem internoveris, tum demum ad curationem audacter accedas. Non autem vulgi opinionem ſequaris, ὡς δεῖ τοὺς ὑδεριῶντας παντὶ τρόπῳ θερμαίνειν, οὐδὲ γὰρ ἐστι τοῦτο ἀληθής· quod omni ingenio calefaciendi ſint Hydropici. Neque enim hoc verum.

Imprimis verò viſcera interiora corroborantibus corroboranda, atque eorum nativus calor omni ſtudio conſervandus. Hæc enim ſi negligentiùs exhibeantur, vel prorſus omittantur, parum proficient evacuantia; ſed potius magis magisque ægri vires exſolvent; & tandem animam, ut ſic dicam, expurgabunt. Quod cùm à plurimis, Agyrtis imprimis, ſusque deque habeatur, etiam accidit, ut ſæpè hydropici ex inſperato animam exſpirent. Et quàm neceſſaria in affectibus partium principalium ſint corroborantia, etiam *Galenus l.* 13. *m. m. c.* 15. exemplo Attali Medici docet. Hic enim cum Theoginem Cynicum, Philoſophum ſui ſeculi Celeberrimum inflammatione hepatis laborantem curaret, & quotidie jecori relaxantia & emollientia imponeret; neglectis interim adſtringentibus & corroborantibus, pro hujus viſceris natura convenientibus, cum maximo famæ ſuæ detrimento eum interfecit.

Ad viſcera autem roboranda commendantur *Trochiſci de Eupatorio; de Abſinth. de Rhabarb. ſpec. diarrhod. Abb. Aromatic. roſat. diatrion ſantal. ſpodium, Conſerv. roſar. Agerat. borrag. bugloß. melißſ. acetoſell. anthos flor. ſambuc. Condit. rad. helenii. calam. aromat. Zingib. Electuar. de limatur. chalyb. Rob. Paſſular. Alkerm. Theriaca, Mithrid. Epar lupi condit. Extract. & Aqua vel potius decoctum Epatis Vituli. Magiſter. Corall. perlar. Abſinthium Ponticum*, quod à Galeno præ cæteris hîc commendatur: & quæ ex eodem parantur, ut conſervæ, ſpiritus, oleum, eſſentia cum ſpiritu ejuſdem extracta, vel lapis ex hiſce cum ſale ejuſdem conjunctis ſpagyricè paratus. Joh. Anglicus in Practica ſua Electuarium diacubebar. dictum hîc commendat tanquam ſummum arcanum, & nemini niſi accepto pretio communicandum. Ejus deſcriptio, ut & diacubebe dictæ Paracelſi, quæ ſimiliter maximè hîc commendatur, nec multum à dicto Electuario diſtat, exſtat

apud *Sennert. l. 3. Prax. p. 6. ſ. 2. c. 3.* Atque ex his & aliis varia compoſita pro re nata fieri poſſunt. V. g. ℞. Conſerv. roſar. Agrimon. ana ℥ j ß. Abſinth. Rad. Cichor. ana ℥ j. Pulpæ paſſular. Corinthiac. ʒ vj. Epatis lupi præparat. ʒ iij. Mithrid. ʒ ij. cum Syrup. conſervat. Pimpinell. F. Electuarium cui adde liquoris Martial. ℈ ß. Vel ℞. Electuar. de limatur. Chalyb. ℥ j. Conſerv. Agerat. Abſinth. an. ʒ vj. Roſar. flor. Sambuc. ana ℥ ß. Trochiſc. de Eupator. ſpec. diacurcum ana ʒ j. cum Syrup. de Eupatorio F. Electuarium. Vel ℞. Spec. aromat. roſat. ʒ i ß. Diamoſc. dulc. ʒ ß. Diacurcum ℈ j. Trochiſc. de Abſinth. ʒ ß. Magiſt. Corall. perlar. ana ℈ ij. Conſerv. rad. helenii ʒ iij. ol. Cinam. citri ana g. v. Sacchar. in aq. Fœnic. diſſol. q. ſ. F. L. A. Confectio in Rotulis. Externa quoque non negligenda, ſed ſacculi, Emplaſtra, Cataplaſmata, Epithemata & ſimilia pro re nata S. A. conficienda.

Antequam autem à Pharmacia ad Chirurgiam diſcedam, quaſdam cautiones & regulas circa hæc remedia neceſſariò obſervandas adhuc addam. I. A` mitioribus cura Aſcitæ inchoanda, nec ad fortiora medicamenta deveniendum, niſi mitiora non profuerint. II. A` medicamentorum uſu non ſtatim deſiſtendum, ſed cum chronicus plerumq; hic ſit affectus, uſus eorũ longiore tempore continuandus. III. Interdum temporis aliquod intervallum interponendum, & à medicamentis ceſſandum, ut vires & morbô & medicamentorum multitudine labefactatæ recolligantur, ut poſtea fortiùs contra morbum pugnare poſsint. IV. Medicamentorum formulæ ſic concinnandæ, ne iis ſeroſi humoris quantitas magis augeatur. V. Satius eſt paulatim & tuto evacuare, quàm feſtinando unà cum morbo ægrum è medio tollere. *Trallianus lib. 9. cap. 2.* VI. Hydropici non temerè ad ſudandum adigendi, cùm ſeroſus humor, non, ut in Anaſarca, per ſuperficiem corporis diffuſus ſit, ſed in abdomine contineatur, unde ſudorifera non ſine magno labore aliquid evacuant, timendumque ſit, ne, dum ſudoriferis calidis; vel actuali adhibitô calore ad ſudorem coguntur, vires corporis magis dejiciantur, atque ob diſpnœam in ſuffocationis periculum incurrant. *Platerus l. 3. Prax. p. m. 312.* VII. Topica, quæ Ventri applicantur, cùm pleraque

raque sint ex calidis & siccis, ita dirigenda, ne hepar, vel ventriculus, aut alius corporis viscus, ab iis lædatur. VIII. Si flatus seroso humori admixti sint, carminativa aliis admiscenda. IX. In Ascite à colliquatione cavendum ne nimium discutientibus & exsiccantibus calor colliquativus augeatur. Et proinde primò caloris excessus refrigerantibus internis, externisque tollendus, & dein serosus humor debito modo evacuandus. X. Ad partes principes semper respiciendum, & nunquam solis relaxantibus utendum, ne eorum tonus dissolvatur, sed adstringentia permiscenda, aut quæ specifica quadam vi corroborant. *Galenus* 13.*m.m.*

XIII.

Chirurgia subministrat Venæsectionem, scarificationem, Vesicatoria, Cauteria & παρακέντησιν.

Alterum Medicinæ instrumentum, Chirurgiam scil. aggredior. Hæc licet in plurimis morbis plurimum posit, in hoc tamen utrum conveniat, controvertitur. Primò Venæsectionem quod attinet, sunt quidem non-nulli, qui in omni hydrope, adeoque etiam in Ascite intrepidè, cæteris parum perpensis venam secari jubent. Verùm dum hoc faciunt & sanguinem vivificum nectar vitæque thesaurum eliciunt, sæpè animam unà educunt, ægrumq; è medio tollunt. Atq; sic verum reddunt decantatum illud *Galeni comm.*1.*aph.*1. Temerariæ experientiæ finis totius animantis est internecio. Quapropter cùm nihil quicquam in homine, qui animæ, imò Dei sedes & templum est, temerè tentandum sit, probè pensiculandũ, quando V.S. in Ascite celebrari posit. Ego V.S. non, nisi alicujus visceris inflammatio adsit aut à mensium vel hæmorrhoidum suppresione Ascites ortum habeat, instituendam esse puto, & quidem statim in principio, ubi vires adhuc constant. Hoc etiam comprobat *Mercatus*, qui *l.*4.*de morb.intern. cap.*6. Sic scribit: in Ascite nullâ lege exercenda venit V. S. nisi jecore evidenter inflãmatô, idq; parcè & cautè: & *Jacotius l.*6.*in Coac. Hipp. s.*2. *in comm. sent.* 18. inchoata, inquit, caloris exstinctio V.S. juvatur per initia morbi, quando per suffocationem accidit, ut

dit, ut

dit, ut in initio hydropis à ſuppreſsione menſium, hæmorrhoidum, aut ſolemnis evacuationis. Tutò tamen etiam V.S. administrari poteſt in Hydrope ſubitaneo à colliquatione, cùm hæc teſte *Sennerto l.5. Prax. p.1. cap.26.* ſeroſæ partis in ſanguine effervescentiam egregiè coerceat.

Scarificatio veteribus maximè fuit uſitata, & Ægyptiis adhuc eam in uſu eſſe teſtatur *Proſper Alpinus de Medicin. Ægypt.* Verùm non omnes eundem elegerunt locum. Archigenes, referente *Galeno 9. comp. med. ſ.l.cap.3.* ſcarificare juſsit talos. *Nic. Maſſa Epiſt. Med.21. & Langius l.2. Epiſt.23.* laudat ſacrificationem crurum. *Herc. Saxonia & Alex. Benedict.* commendat ſacrificationem cutis in abdomine, in talis autem & cruribus ab iis abſtinendum docet, propter gangrænæ periculum. Et abdominis ſcarificatione D. Joh. Michelium Medicum Auſtriacum quoſdam deſperatos Hydropicos reſtituiſſe, teſtatur *Horſtius cent. probl. Med. decad.7.q.8. Fabric. ab Aquap. de operat. Chirurg. p.m.67.* Scarificationes pluries felici cùm ſucceſſu in talis, teſtibus & præputio ſe adminiſtraſſe, ſcribit, modumque ſcarificandi ibidem docet. Verùm enim verò quocunque modô, & quocunque in loco ſcarificationes inſtituantur, vix eæ periculo vacant. Nam ob humoris ſalſi effluxum inflammatio & graviſſimi dolores, imò non raro etiam gangræna accidit, ut aliquoties ſe obſervaſſe, ſcribit *Sennert. l.3. Prax. l.c.* Et ipſe *Proſp. Alpinus* teſtatur pleroſque inde gangrænam incurriſſe, & mortuos eſſe. Ideoque ſatius eſt in Aſcite, imprimis jam confirmato ab ejuſmodi ſcarificationibus abſtinere.

Cæterum Fabr. ab Aquap. & alii etiam cauteria in brachiis & cruribus inurunt, atque fonticulos, ſive fontanellas in iis parant. Sed etiam ex his, ut ipſe mox addit, maximum imminet periculum, ne ſphacelus partem calore depauperatam apprehendat & occupet, qui brevi hominem interimat. Quare prudenter etiam monet *Heurnius aph.8. ſ. 6. in comm.* ne facilè cauteria hydropicorũ corporibus inurantur. Exemplum quoque ibidem adducit de Medico quodam celeberrimo, qui, cùm ab ab aqua fatigaretur, inuri ſuis cruribus cauteria juſsit, ſed illa mox in gangrænam abiêre, ac Medicum Hydropicum abripuêre. Similem quoque hiſtoriam olim in Noſocomio

Leiden-

Leidensi à D. Schrewelio, Practico Experientissimo, audivi de viro quodam Nobilissimo, qui similiter, cum cauteria cruribus inuri juberet, eaque in sphacelum abirent, subitò extinctus est. Malè itaque ii faciunt, & quod nullo modo excusare possunt, qui ut ut hæc optimè sciant, attamen ut ægro indulgeant (sic enim illud excusant) cum ipsius vitæ periculo talia fieri permittunt. Hoc modo dolores magis exasperant, mortemq; accelerant. Præstat autem de consilio Celsi, ægrum permittere mori, quam interficere. Idem judicium esto de Vesicantibus. Etsi enim ea cum successu adhibita fuisse, quidam dicant, attamen ea cum Alex. Massar. rejicimus ob inflammationis & gangrænæ metum. Vix enim in Hydropicis teste *Hippocrat. aph.* 8. *s.* 6. ulcera curantur. Hoc ipsum confirmat *Septalius l.*7. *Caution. Med. p.m.*299. qui, licet aliquando viderit duos hydropicos sanatos vesicis in cruribus sponte excitatis & disruptis, ac multâ aquâ per eas evacuatâ, nullum tamen unquam 40. annorum spatio curatum se vidisse, scribit, cui à Medico vesicatoria cruribus admota fuêre, sed ferè semper gangrænam incurabilem subsecutam fuisse.

Nonnulli etiam, ut *Fabr. ab Aquap. Platerus, Massarias* & alii ad educendum serosum humorem scrotum aperiunt. Et quidem *Fabr. ab Aquap.* Setacium infigit: *Platerus* verò unicum vulnus amplum inflictum præfert, cui canalem argenteum immittit. Et hujus perforationis exemplum habet *Horstius lib.* 4. *Part.*2. *observ.*2. *Et Massarias* hoc modo in Mercatore quodam Vincentino trium dierum spatio 45. ℔. aquæ cum ægri salute se eduxisse, scribit. Similiter Hydropicum serosô humore per scrotum evacuatô à morbo liberatum fuisse, diuque adhuc sanum supervixisse atq; liberos etiam progenerasse, observavit *Fabricius Hildanus.* Verùm maxima cautione hîc opus est, & non, nisi scrotum tumidum sit, & natura eò aquosum humorem detrudat, ejus perforatio celebranda. Aliàs enim, quod prudenter monet Excellentissimus *Platerus*, scrotô vacuô & naturâ non adminiculante frustra tentatur apertio, & etiam hinc gangræna & inflammatio oriri potest, imò immensi dolores, qui ægrum miris modis excruciant, ut mori potius, quam sic torqueri velit.

Sed de παρακεντήσει, ſive abdominis perforatione quid? Vetuſtiſsima, certè, hæc eſt operatio & potentiſsimum ad aquam Hydropicorum educendam remedium, cujus jam *Hippocrates* paſsim meminit. Modum verò perforandi tradidêre *Ægineta, Aetius, Celſus, Albucaſis, Fabr. ab Aquap. Fabr. Hildanus, Paræus* & alii. De hac perforatione *Cœlius Aurelian. l. 3. tard. paß.* ſcribit, magnam ſemper fuiſſe contentionem, alios illam approbaſſe, alios rejeciſſe. Ipſe tamen affirmat ſe aliquos vidiſſe, qui ex hac ſectione evaſerunt; quodq; tàm multi moriuntur, inde fieri, quod utplurimum ſerius tentetur, & cùm jam morbus diuturnitate temporis factus eſt incurabilis. Et certè non ſemper, nec in omni Aſcite παρακέντησις convenit, ſed duntaxat quando tumor brevi tempore ad inſignem magnitudinem pervenit, & hydragoga, aliaq; auxilia non juvant, quando nulla febris adeſt, nullus alvi fluxus, corpus non emaciatum, & omninò ſi vires adhuc conſtant, & æger, ut *Hippocrat. in proreth.* ait, εὔσπλαγχνος eſt. Ideoq; etiam *Hipp. 6. Epid. ſ. 7. tex. 8.* ſtatim ſecare jubet. Nam ſi Aſcites jam ſit inveteratus, viſcera corrupta, vires fractæ, aut ſi à ſcirrho hepatis aut lienis, aut morbo aliquo acuto ortum habeat, fruſtra hæc ſectio celebratur, &, quod plurimi annotarunt, anima cum aqua educitur. An autem hæc ſectio etiam in Aſcite deſperato tentanda ſit, ut ſi æger liberari non poſsit, ſaltem aquâ effusâ à diſpnœa gravi, aliisque internis doloribus liberatus placidius exſpiret, certè ego aſſerere non auſim. Putat equidem *Verulamius de augment. ſcient. lib. 4. cap. 2.* ad officium Medici etiam pertinere, ut abjectâ prorſus omni ſanitatis ſpe, exceſſum præbeat è vita magis lenem & placidum. Verùm rectiùs alii cenſent, ſatiùs eſſe circumſpectè præſagire, & quà licet, prorogare, quæ non poteſt conſervari, vitam. Præterea *Fabr. ab Aquap.* Aſciticos deſperatos ſecare prohibet, quia, ut *Galenus* docet, impudentis conſilii eſt, in quo deſperata omninò ſalus eſt, apud vulgus infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti: & *Celſus* ait *lib. 5. cap. 26.* Prudentis Medici eſt eum qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſa peremit.

Cæterùm

Cæterùm locum quod attinet, qui perforari debet: notum est ex veteribus & recentioribus, quod in variis abdominis partibus παρακέντησιν instituerint. *Hippocrates, Ægineta, Aetius, Albucasis* & qui hos sequuntur, sectionem fieri volūt, paulò infrà umbilicum, ubi etiam commodissimè & tutò eam fieri posse, concedo, modò illud observetur, quod *Hippocrat.6. Epid.s.7.t.8.* sedulò monet; μὴ ψαύειν ἦτρυ μήδε τῶ ἔσω, *i.e.* ne ea pars, quæ est inter umbilicum & pubem, ubi linea alba dicta excurrit, aut interiora ferrò attingantur sive lædantur. *And.Laurentius verò Anat.lib.6.cap.9. q.9.* ipsum umbilicum eligit, atq; in eo sectionem multò tutiùs & faciliùs fieri experientiâ & rationibus probat. Et quosdam in ipso umbilico sectionem facere consuevisse, meminit ipse *Celsus lib.7.cap.15.* Nec horum institutum prorsus improbat *Fabr. ab Aquap. l.c.* & *Sennertus l.3. Prax. l.c.* Et ego quoque παρακέντησιν in umbilico admitto, quando ea fieri potest. Potest autem ex consilio *Fabr. ab Aquap.* & *Sennert.* ea fieri, quando umbilicus ita laxatus apertusque est, aut tumens, ut ab exteriore parte ad internam cavitatem & aquam tenuis tantum cutis intercedat, quæ vel ipso tactu, digitique compresśione deprehenditur, & imprimis quando natura eò inclinat, & ipsa hunc locum eligit. Naturam autem non raro hanc viam eligere & per vasa umbilicalia dilatata hydropicorum aquam sponte evacuare, Medici notarunt. Et habent hujus rei exempla *Benivenius de abd. sanat. caus. c.12. Valeriol. l.4. observ.3. Dodon. obs. Med. cap.12. Marcell. Donat. l.4. hist. Med. mirab. c.21. Fabr. Hildan. cent.1. observ.47. cent.2. observ.58. & cent.4. obs.42. Sennert l.3. Prax. p.749. & 976. Schenck. l.3. obs.147. Riolan. Anthropograph. l.2.c.12. Forest. l.9. observ.33. & l.27. obs.29. Fabr. ab Aquap. & Laurentius l.c.* Verùm si hæc requisita desunt, umbilicus non temerè perforandus. Sunt equidem qui hæc arte procurare volunt, & ut umbilicus intumescat, cucurbitulam sæpè ei admovere jubent. Et *Sanctorius* certis instrumentis, quæ in *comm. in Avicenn. fen. l.1. q.71. p. m.435.* depicta sunt, umbilicum perforare, eumque dilatare atq; aquam extrahere conatur. Verùm an hæc ita tutò, & cum ægri salute fieri possint, si natura ipsa eò non inclinat, maximè dubito. Tandem

in aquæ hydropicorũ eductione probè notandus *6. Aph. Hipp. ſ.6.* Qui pus in thorace colligunt, aut aquâ inter cutem laborant, ſi uruntur aut ſecantur, & pus, aut aqua confertim effluxerit, omninò intereunt. Ideoque ſenſim pro ægri virium ratione & tollerantia, & non ἀθρόως aqua extrahenda.

XIV.

Diæta conſiſtit in cauſarum naturam noſtram conſervantium, ſeu alterantium legitima uſurpatione.

Tertium θεραπευτικῆς inſtrumentum eſt Diæta, quæ ut in aliis morbis, ita & in hoc maximè nececeſſaria eſt, & meritò primas & poſtremas hujus curationis partes obtinet. Quippe ſine ea medicamenta parum hîc valent. Et à prava victus ratione Hydrops ſæpè excitatur & fovetur. Atq; hanc ipſam non poſtremam cauſſam eſſe puto, quod hic affectus, uti *Bontius in Medicin. Indor.* teſtatur, Indis ſit familiariſsimus. Quamvis verò à Practicis communiter diæta ad caliditatem & ſiccitatẽ vergens in hoc affectu præſcribatur, attamen pro cauſarum hydropem excitantium variatione atq; ſymptomatum natura non rarenter eam variare oportet. Cùm enim Aſcites alius calidus, alius frigidus ſit, uti etiam à Doctiſsimo *Hoffmanno l.3. de loc. aff. c.4.* & quidem rectiſsimè ſic dividitur; in frigido Aſcite diæta calida & ſicca omninò convenit: aſt in calido à colliquatione, vel calore flammeo, ut *Hoffmann. l.c.* exponit, tâlis maximè nocet. Quare tunc tota victus ratio (quod ſemel pro ſemper jam moneo) ita moderanda, ut flammeus & colliquans calor alteretur, mitigetur & extinguatur. Et omninò ſemper talis diæta inſtituenda, quæ vires proſtratas ſublevat, viſcera roborat, & omnem humoris aquoſi proventum prohibet. Aër itaq; ſit ſerenus, purus, calidus & ſiccus, & ſi natura talis non eſt, arte, quantum licet, paretur. Cibus ſit εὔπεπτος & εὔχυλος. Quare abſtinendum ab iis, qui multum aquoſi, ſeroſi, ſalſi & viſcidi humoris ſuppeditant, ut ſunt carnes ſale conditæ & fumo induratæ, piſces limoſi, ſale

si, sale conditi, & calore solis vel fumo exciccati. Ostreæ, mytili, aliaque testacea viscidum & salsum humorem participantia. Fructus horarii & oleracea pleraque. Carnes, quales sunt hœdinæ, vitulinæ, gallinarum, caponum, perdicum & avium plerarumque sylvestrium, & similes boni alimenti & facilis coctionis, assæ potiùs, quàm elixæ commendantur, possuntque aniso, fœnic. petroselin. vincetox. bacc. juniper. cinamom. macere, croco aliisque aromatibus, nisi quid impediat, condiri. Jecur etiam animalium & præcipuè gallinarum conceditur, atque tota substantia in hoc affectu valere à plurimis creditur. Nec inutiles sunt cappares, amygdalæ, pistaciæ, pineæ, passulæ, imprimis maximæ Damascenæ, Zibebæ aliàs dictæ. Panis sit, bene coctus, fermentatus, & ex parte furfuraceus, qui magis aperit, & abstergit, conditus semine anisi, fœniculi, cumini, &c. Et si æger concoquere valet, bis coctus, qui ab *Hippocrate* & *Mercuriali* præfertur. Potus sit parcissimus, qui ad ciborum tantum distributionem sufficiat; & ut *Celsus* monet *l. 3. c. 21.* non ultra, quàm ut vitam sustineat. Quippe observatum est, solâ abstinentiâ potus per 40. dies & plures, imò per annum integrum quosdam curatos fuisse. Ejus rei exempla habet Jacchinus & Benivenius. *Et Massar. l. 3. Prax. cap. 6.* refert, Vincentiæ Rustico Hydropico Medicum per jocum dixisse eum à morbo fore liberum, si per annum abstineret ab omni potu. Rusticus verò id sibi imperatum fuisse putans, per annum integrum nihil prorsus bibit, transactôque anno jam sanus factus rediit ad Medicum, ut illi pro saluberrimo hoc præcepto maximas ageret gratias. Si tamen inflammatio, vel visceris alicujus insignis caliditas adsit, Medicus ægro, si ipsi vitam superesse voluerit, potum ita religiosè non denegabit. Quippe etiam ex liberalissimo aquæ potu & copioso alvi fluxu suborto Hydrope laborantes sanitati restitutos fecisse, annotarunt *Zacutus l. 8. Prax. histor. cap. 15. observ. 5. & Langius l. 2. Epistol. Med. 12.* Si etiam sitis valdè urgeat, aceto aquâ diluto, vel aqua, in qua aliquid lapidis prunellæ dissolutum est, os colluendum, vel aliquot guttæ spiritus Salis cum momento vini assumendæ. Sitim quoque

extinguit radix glycyrrhizæ recens ore manducata. Prosunt etiam Rotulæ ex speciebus diamarg. frig. vel aliæ, spir. Salis oblitæ & deglutitæ. Cæterùm potus potest medicari absinth. Eupator. roremarin. agrimon. caryophyl. rad. ireos, glycyrr. passul. &c. Vinum quoque antiqvum tenue, album, austerum & adstringens Hydropicis conducit; modò febris vel calor non adsit. Vinum enim cor exhilarat, spiritus recreat, dissipatos restaurat; succos crassos attenuat, & urinam atque sudorem provocat. Aquæ verò poculum Hydropicis adverissimum esse, *Galenus* docet *l.* 1. *de simil. med. facul. c.* 7. Et *Iben Sina fen.* 14. *f.* 3. *tr.* 4. *cap.* 16. illius quoque visionem prohibet. Hoc religiosè observavit Hydropicus ille, cujus meminit *Massar. l. c.* Is enim cùm intellexisset aquam sibi mirabiliter adversari, vinum autem conferre, posthabitâ qualibet aquæ administratione, non modo ad potum, sed etiam ad coquenda omnia fercula, imò ad manuum, crurum, faciei & universi corporis lotionem vinô malvaticô usus est, & ejus longiori usu etiam sanitatem recuperavit. Alvus sit aperta, & si spontè non respondet, alviduco stimuletur. Somnus sit moderatus & nocturnus. Interdiu, tempestivo tempore corpus moderatè exerceatur, deambulatione, si fieri potest, vecturâ, gestatione. Quippe quiete calor innatus magis torpescit, unde excrementorum copia major colligitur: Motu verò calidum nativum & spiritus excitantur viæ dilatantur & superflui humores discutiuntur vel sensibiliter & manifestè per sudorem, vel insensibiliter per ἀδηλον διαπνοὴν. Et hoc vult *Hippocrates quando* 5. *Epid. t.* 27. dicit: Hydropicum oportet defatigari. Corpus de die vestibus & noctu culcitris ita tegatur & muniatur, ut pori cutis aperti serventur, & sudor erumpat, vel vapores liberè transpirent. Quantum enim insensilis perspiratio ad sanitatem conservandam atq; recuperandam valeat, eleganter docet *Sanctorius* in sua Medicina Statica. Venus verticordia fugiatur. Exulent quoque motus animi immoderati. Interim quæ animum exhilarant, non prorsus abjicienda. Lætitia enim calidum innatum spiritusq; animales excitat; Tristia contra eosdem exsiccat & suffocat.

Atque

Atque hæc etiam de ipſa Aſcitæ curatione dicta ſunto. Nunc quædam etiam de ſymptomatum mitigatione & curatione addenda forent, verùm vix ea anguſtia chartæ capere poteſt, neque animus mihi eſt de hydrope magnum tractatum conſcribere. Præterea morbô ſublatô facilè etiam ſymptomata tolluntur, hæc enim *Galeno* teſte *de diff. ſympt. cap.* 1. morbum, ut umbra corpus ſequuntur: hôc autem ſublatô umbra evaneſcit. Quare qui plura deſiderat, ipſos Practicos adeat. Ego hîc calamum ſiſto.

DEO SIT GLORIA
ET GRATIARUM
ACTIO!



428.